This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

878
A4p0 1)
K

Apulei quae fertur physiognomonia quando composita sit.

Dissertatio Inauguralis

quam

auctoritate amplissimi philosophorum ordinis

in academia Kiliensi

ad summos in philosophia honores rite capessendos

scripsit

Edmundus Kelter

Hamburgensis.

Adversariorum partes suscipient:

Curtius Ferber Drd. phil.
Hermannus Harries cand. phil.
Franciscus Kehmptzow cand. phil.

Kiliae.

Typis expresserunt Schmidt & Klaunig.

1890.

16

Nro. 12.
Rectoratus 1890/91.

O. Krümmel,
h. t. decanus.

Ricardo Foerstero

pietatis causa.

152382

Partitio.

Priorum sententiae percensentur:

A. Valentini Rosii p. 8.

I. de indiciis extrinsecus allatis p. 8. II. de indiciis a) ex re p. 8, b) ex sermone sumptis p. 9.

B. Ferdinandi Maieri p. 9.

de indiciis a) ex sermone p. 10, b) ex re sumptis p. 11.

Quid equidem de libelli aetate intellegi velim.

Nonnulla de condicione libelli et de disserendi ratione praemittuntur p. 12.

A. Argumenta e sermone auctoris sumuntur.

Pars I. De grammatices lineamentis.

a. De verborum conformatione: declinatione p. 13. gradatione p. 13. coniugatione p. 16.

b. De verborum syntaxi: pronominum p. 16. adiectivorum p. 17. adverbiorum p. 18. praepositionum p. 19. casuum syntaxi p. 23. modis et temporibus p. 24. particulis p. 32.

Pars II. De elocutionis proprietatibus p. 36.

Pars III. De verborum copia.

a. Voces quae ante Tertullianum nusquam apparent p. 40.

b. Voces quae ante Tertullianum alio sensu affectae apparent p. 42.

c. Voces post Apuleium redivivae p. 45.

De vocibus ‚morbus', ‚saepe', ‚supra modum', p. 47.

B. Argumentum e re ducitur p. 49.

De Apulei quae fertur physiognomoniae aetate magnopere viri docti dissentiunt, ex quo tempore Valentinus Rosius eam edidit.[1]) Erravit autem Rosius, cum sibi videretur primus hunc librum prelis tradidisse. Primus enim anno 1549 Antonius Molinius Matisconensis anonymi cuiusdam physiognomoniam secundum tres auctores publici iuris fecit; verum haec editio, quamvis non spernenda fuerit, temporum decursu plane oblitterata est neque ante hunc annum proximum Ricardo Foerstero praeceptori carissimo contigit, ut priscum illum libellum in bibliotheca regia Berolinensi deprehenderet.[2])

Secundus autem editor Rosius physiognomoniam sine auctoris nomine traditam certo non solum tempori, sed etiam auctori non dubitavit attribuere Apuleio Madaurensi (p. 72—86; p. 102). Cui opinioni oblocuti sunt et Sauppius in editionis recensione[3]) et omnes qui post eum de hac re egerunt. De tempore cum Rosio consentit Sauppius (p. 22. 23). Aliter iudicavit Ferdinandus Maierus[4]), qui re primum accuratius examinata non posse dixit libellum ante IV[i] saeculi finem vel V[i] initium conflatum esse. Ricardus autem Foersterus[5]) de tertio vel quarto saeculo cogitare videtur.

---

[1]) Anecdota graeca et graecolatina, Heft I, Berlin 1864. p. 59—170.

[2]) cf. R. Foerster, Quaestiones physiognomonicae, Kiliae 1890. p. 1 sq.

[3]) Gött. gel. Anz. 1866. Bd. I p. 21—26.

[4]) De Anonymi physiognomonia Apuleio falso adiudicata. Bruchsaliae 1880. Progr.

[5]) cf. De Apulei quae fertur physiogn. recensenda et emendanda in Jahrb. f. class. Philol. XV. Suppl. Lpz. 1887. p. 559—61. et eiusdem De Aristotelis quae feruntur physiognomonicorum indole ac condicione, in Philol. Abhandl. f. M. Hertz. Berl. 1888. p. 298.

Habemus igitur magnam virorum doctorum discrepantiam; et cum ex omni quidem parte eorum nemo mihi persuaserit, rem iterum diligentius tractare suscipiam.

Atque primum de Rosio dicam, qui ad coniecturam suam stabiliendam et extrinsecus argumenta attulit et alia ex libello ipso congessit.

Provocat ille primum (p. 77 sq.) ad Albertum Magnum clarum illum philosophum saeculi XIII, qui semel physiognomoniae locum (p. 124, 24) ita laudat: *tales referuntur ab Apuleio fuisse oculi Socratis* e. q. s.. Sed non vidit vir doctissimus hoc loco illud *ab Apuleio* corruptum esse ex *a Palemone* vel *a Philemone* vel *a Platone*. Hi enim vel *Loxus* vel *Platonici* reliquis locis ab Alberto pro libelli afferuntur auctoribus. Iam alterum argumentum (p. 73 sq.), quod fluxit ex indice codicis Harleiani, ubi extat: *Hec continentur pro ordinem in hoc libro . . . . . Apuleius de secta platonica. Item de deo Socratis. Item de phisnomia . . . . . Historia de bello troianorum. Item de monstris et portentis. Item phisicon proteron . . . . . Eproceptio Ioachimi super Apocalipsim. Item de presagiis tempestatum. Item Ieronimus contra Elvidium* labitur, quia in hoc indice *item* non idem significare atque *eiusdem* in propatulo est. Ceterum pluribus de his disserere supersedeo, cum iam Sauppius imprimisque Foersterus l. l. rem bene absolverint.

Deinde ex libello ipso Rosius sententiam firmare studuit. Primum enim verba Anonymi p. 128, 20 *a Palemone quidem auctore referuntur, qui eunuchum* (corr. Foerster.) *sui temporis fuisse hunc hominem descripsit. nomen quidem non posuit, intelligitur autem de Favorino eum dicere* ita explicat (p. 72), ut eum qui tali modo loquatur, pro aequali Polemonis et Favorini habendum esse contendat. Recte autem monet Foersterus[1]) agi de persona illustrissima, cuius notitiam auctor aut e scholio in margine adscripto haurire, aut quae erat celebritas rei, vel sequioribus temporibus de suo addere potuit. Quid? Rosius nonne ipse (p. 71) concedit simultatem illam vel tertii saeculi initio rem fuisse notissimam? At enimvero ipsa ratione qua solet Polemonem citare interpres, de Apuleio cogitare vetamur. Nam Apuleium si cum Rohdio[2]) anno

---

[1]) JJb. p. 561.
[2]) Rhein. Mus. XL p. 73.

fere 124 natum esse existimamus, Polemonem vero, ut Foersterus me docuit, mortuum sub Antonino Pio post 144, fortasse post 155, fieri non potest, ut talia qualia sunt p. 124, 11 *Palemon auctor etiam hac de causa huius* <*speciei*> *exemplum in libro suo extulit ex homine suorum temporum* vel p. 121, 8. 128, 20. 161, 6 homini fere aequali aetate Polemoni ut erat Apuleius ascribamus, sed multo iuniori.

Denique ne in sermone quidem Rosio ullum contra Madaurensem testimonium inesse videtur. Sed hoc quam non recte protulerit, cum alii viderunt[1][2]), tum Maierus programmate illo satis probavit. Etenim Apuleium auctorem non esse vel ex hoc indicio apparet, quod is, qui physiognomoniam compilavit, ut alias[3]), ita particulam *tanquam* 33 ies[4]), Apuleius in tot libris nusquam usurpat. Ex altera autem parte post-Apuleianum fuisse auctorem *quod* et *quia* particularum pro acc. c. inf. adhibitarum frequentior usus[5]) et alia digito monstrare videntur.

Remoto igitur ex hac quaestione Apulei nomine ad eos veniamus, qui post Rosium de hac re scripserunt. Omisso autem Sauppio, qui edixit tantum, non fulsit argumentis opinionem quam protulit de aetate, statim ad Maierum me vertam, qui *vix ante saeculi p. Chr. n. quarti exitum sive initium quinti confectum esse qui nunc legitur libellum* p. 19—24 argumentis probavit, quae et ex sermonis proprietatibus et ex rebus in libello ipso tractatis assumpsit. Illa autem maximam partem vel contextu libri a Foerstero et recensendo et emendando diligentius examinato vel scriptorum sermone et latinitate accuratius perspectis, vel verbis rectius explanatis statim corruent.

---

[1]) Becker, Studia Apuleiana. Diss. Regim. 1879 p. 10.

[2]) Mayen, De particulis quod quia quoniam quomodo ut pro acc. c. inf. post verba sentiendi et declarandi positis. Diss. Kil. 1889 p. 31. p. 48 adnot. 1.

[3]) Becker, p. 10 adnot. 2.

[4]) Becker, p. 10.

[5]) *Quia* particula acc. c. inf. vice fungitur primum in versione Scripturae Sacrae qua usus est Tertullianus, ab Anonymo bis (p. 121, 3. 125, 12 (vid. infr.)), ab Apuleio nusquam adhibetur. Ratio, quae inter has particulas et acc. c. inf. intercedit, apud Apuleium est 1 : 32, 6 (*quod* 11 ies, acc. c. inf. 359ies), apud Anonymum 1 : 10, 5 (*quod* 9ies, *quia* bis, acc. c. inf. fere 110ies). cf. Mayen p. 47. 48. et vid. infr. p. 53.

Namque pro *promptius* et *promptos* p. 133, 2 et 153, 22, pro *officiosa* p. 131,8, quorum vocabulorum hic sane usus prioribus temporibus inauditus esset, Foersterus *pronius, pronos, efficacia* scribendum esse docet.[1]) Neque illud *color niger lenis* p. 151, 4, quod affert Maierus, incorruptum esse videtur. Nihil dico de barbarie, quae inest in hac constructione *niger lenis* = *leniter niger*, nam simile praebet Anonymus p. 121, 3 *nigri qui veri et meri sunt oculi*, sed neque in sensum quadrat lectio neque in graecum Adamantii et Pseudo-Polemonis[2]) vel arabicae versionis contextum, ut qui omnes de uno nigro dicant colore: Adam. p. 413 (ed. Franz.) *ὅτι μέλαινα χροιά*, Ps. Pol. p. 185 *ἡ μέλαινα χροιά*, similem in modum Arabs. Adde quod etiam aliis locis quibus de his nigri coloris indiciis agit auctor, colorem vel *nigrum* appellat p. 113, 1 sq. vel diserte *nigri qui veri et meri sunt* dicit p. 121, 3. Ortus autem videtur Foerstero iudice error syllaba *len* olim vocabulo sequenti pro lectione varia superscripta.

Tum vero *a* cum abl. pro abl. simplici p. 137, 17. 156, 27 etiam occurrit apud Frontinum[3]), *plurimum reseratus* (corr. Foerster) p. 158, 9 similitudinem habet in Gargili Martialis *plurimum fervens*,[4]) *personam* pro *homine* p. 109, 1 iam praebet Iuvenalis,[5]) dein Suetonius[6]) Quid? *quia* et *quod* particularum post verba sentiendi et declarandi usum frequentiorem etsi Apuleius respuit, tamen a tertii saeculi latinitate abiudicari non posse alio loco monstrabimus.

Inoffensum denique *vultum* p. 107, 19 non cum Maiero p. 11 (20) eum interpretamur, *qui non laedat, offendat*, sed, ut bene cum *lenis* et *mollis* concinat neque ab usitato sensu abhorreat, eum vultum qui non rugis quasi interruptus sit i. e. *levem*.[7]) *gratus* autem p. 123, 16 ita non i. q. *deditus*[8]) significat, ut contra graeca quam accuratissime exprimat: p. 123, 15 *veneri et amori gratos* = Adam. p. 340: *χάριτι καὶ ἀφροδίτῃ φίλοι*.

[1]) JJb. p. 585. 578.

[2]) Scriptores physiognomoniae veteres edid. Franzius, Altenburgi 1780. De quorum condicione cf. p. 12.

[3]) Strateg. II, 4, 9: *consternati a mendacio*.

[4]) edid. V. Rose Lps. 1875 p. 162, 15.

[5]) Satir. IV 15.

[6]) Nero 1.

[7]) ad quod conferas Taciti: *inoffensum iter*, Vergili: *mare inoffensum*; Martialis: *via inoffensa*.

[8]) Maier, p. 9, 20.

At alia ex rebus ipsis collegit argumenta, quae fortasse illis erunt graviora. De ratione qua loci Polemoniani ab auctore laudantur, supra diximus[1]), quae licet post Apuleium scripsisse interpretem luculentissime testetur, tamen ad saec. IV/V descendere minime cogit.

Idem dicendum est de forma insolita *Celtus*[2]) p. 109, 14 bis adhibita, quam fateor abhorrere ab optima latinitate, cur vero familiarem esse eam saeculo quinto vel exeunti quarto existimemus, non assequor. Ceterum facillime existere poterat ex graeca *Κελτοί*, quam ut alii ita Adamantius (i. e. Polemo, fons Anonymi) p. 411 ipse exhibet.

Ac ne ea quidem quae de opinione, quam habet de rebus divinis auctor, profert Maierus p. 21, magni momenti sunt. Nam ex eo, quod minus interdum definite Anonymus loquitur p. 129, 17 *divinitas*, 117, 19 *divinitus*, 169, 21 *divinus*, 153, 5 *deus*, non christianum fuisse interpretem, sed hoc tantum colligemus eum de dis fere idem sensisse ac multis iam ante eum saeculis Platonem, Aristotelem, Stoicos. Paganitatem auctoris 121, 20: *non ab iniuria hominum vel deorum hi oculi abstinebunt* satis convincunt.

Sed haec hactenus. Quoniam argumenta priorum quantulum valeant, satis ostendisse mihi videor, nunc quid ipse de quaestione censeam, fusius proferre in animo est.

Nihil igitur subsidiis extrinsecus allatis proficimus, sed una fere ansa ad quaestionem diiudicandam restat sermo auctoris, ad cuius pervestigationem eo acrius accingemus, quo magis in dies cum aliorum tum Woelfflini studiis clarescit, quae fuerint fata linguae latinae vel post argenteam aetatem, quas vias et per quas vicissitudines percurrerit, priusquam in romanicas quas vocant linguas deflexit. Maierus igitur quod ex sermonis indiciis de aetate concludere conatus est, sane recte fecit. Sed ille incohavit tantum rem, non expedivit, cum illorum copias nondum satis adhibere potuerit, argumentandi genere utatur, quod saepe careat via ac ratione, libelli naturam neglexerit.

---

[1]) p. 8. 9. cf. Maier, p. 22.

[2]) Maier, p. 21. *Celtus* nomen proprium semel in C. I. L. II. n. 755 occurrit. Est titulus Alcantarae inventus. De tempore nil constat.

Quare de hac primum praemoneam physiognomoniam latinam versionem esse quandam selectam ex tribus graecis auctoribus; qua de re Anonymus ipse p. 105, 1 hunc in modum praefatur: *Ex tribus auctoribus quorum libros prae manu habui, Loxi*[1]) *medici, Aristotelis philosophi, Palemonis declamatoris qui de physiognomonia scripserunt, ea elegi quae ad primam institutionem huius rei pertinent et quae facilius intelligantur.* Quae cum ita sint, opportune profecto accidit, quod graecorum exemplarium haud spernenda vestigia restant. Namque primum sub Aristotelis nomine *περιπάτου* ut videtur duarum physiognomoniarum reliquiae[2]) cirumferuntur, quae in forma nobis quidem tradita longe exiliores sunt, quam quibus usus est Anonymus, attamen non nihil faciunt in rem. Dein vero etiam Polemoniani libri excerpta duo praesto sunt,[3]) unum tertio saeculo conscriptum: Adamantii cuiusdam paraphrasis, alterum aevi byzantini Polemonis nomine ornatum [4]). Sed hoc, quamquam ad paraphrastae contextum emendandum, cum eius sit epitoma,[5]) non mediocris momenti est, tamen cum nihil valeat ad genuina Polemonis verba cognoscenda, a nobis maximam partem sine damno relinqui potest. Mitto tertium fontem versionem arabicam,[6]) cum typis nondum mandata sit et cetera quae attuli in nostra re sufficiant.

Quae est igitur latini opusculi condicio, in illustrandis sermonis proprietatibus non semel ad graeca recurrendum erit, simulque inter latinae linguae scriptores cum ecclesiastici tum ii inspiciendi erunt, qui item Graecorum opera latine interpretati sunt, dico Hermae pastoris, Irenaei, Asclepii, tum Vulgatae interpretes, Chalcidium, Cassium Felicem, Caelium Aurelianum, Soranum latinum alios.

Sed his praemissis rem aggrediamur ipsam; quam ita fere

---

[1]) De nomine et aetate cf. R. Foersteri ‚De Polemonis physiognomonicis' Kil. 1886 Progr. p. 6 adn. 1. Eiusdem ‚De Loxi physiognomonia' Rhein. Mus. XLIII p. 505—511.

[2]) in Aristotelis edit. acad. Boruss. vol. II p. 805—14, de quibus cf. R. Foersteri ‚De Aristotelis indole etc.'

[3]) edid. Franz in Scriptor. physiogn. vet.

[4]) De his cf. Foersteri De Polem. physiogn. p. 3 sq.

[5]) Cf. De Pol. Phys. pag. 7 sqq.

[6]) De hac cf. De Polem. phys. p. 2.

disponamus, ut primum de re grammatica, dein de elocutione, denique de verborum copia disseramus.

Pars I. grammatices lineamenta [1]).

A. De verborum conformatione.

Atque ut initium capiam a verborum conformatione declinationem optimorum scriptorum usui respondere ac ne minimum quidem posteriorum resipere barbariem in universum dicendum est. Memoratu dignum unum illud videtur, quod iis locis, quibus cum vocula *pars* coniuncta sunt *interior, prior, posterior, superior* p. 144, 11. 114, 21. 143, 2. 163, 11. 114, 2, 5, 21 ablativus semper in *i* desinit, ceteris locis 152, 21. 162, 11 usurpatur legitime. Neque hoc mirum in auctore sequiorum temporum, praesertim cum in ipso Cicerone inveniantur similia. Cic. orat. part. 20, 70: *a meliori parte*; pro Tull. 30 in Taurin. palimps.: *in hoc posteriori* [2]). Lucifer Calar. [3]). Priscillian.: *superiori, leniori, faciliori* [4]). Cass. Fel.: *in inferiori parte; in anteriori et posteriori p.; defusa priori al.* [5]).

Graviores sunt gradationis proprietates. Nam primum, ubi comparativos et superlativos expectamus, non raro auctor positivis voculas *magis, maxime* adiungit: 121, 21 *magis rubicundae magis iracundum* [6]); 133, 24 *libidinosos magis;* 105, 12. 162, 11 *crassus magis, magis crassa;* 123, 14 *magis umidi;* 160, 8 *magis clarum;* 160, 13 *mansueta magis* Adam. p. 445 *τὰ μὲν ἥμερα*; 162, 18 *non perlucidis magis nigris* Arist. 807^{b}, 35 *ἀλαμπὲς μέλαν;* 122, 4 *malignitati magis studentes, — audaces magis*

---

[1]) Omitto ea quae a Foerstero correcta labuntur: p. 159, 26 pro *pecunia cupidi* scribendum *pecuniae cupidi* cf. Foe. JJb. p. 581; p. 130, 14 pro *nunc enarrata,* ut 156, 25, *enumerata.* — de p. 112, 14 *signa de capillis* cf. Mayen, Diss. p. 17. — de p. 154, 9 *Aristoteles prohibet contingere* cf. Foe., Quaest. phys. p. 7.

[2]) de aliis cf. Neue Formenl. II p. 138.

[3]) cf. Archiv f. lat. Lexicogr. III p. 35.

[4]) vide Schepss. ed. Vindob. Index p. 191.

[5]) edid. Rose, Lps. 1879 Ind. p. 240.

[6]) Iis locis, quibus non addidi, graeca — quod semel dico — aut non extare videntur aut rem non tangunt.

Adam. p. 345 *ἀβουλότεροι καὶ θερμότεροι* [1]). Quamquam 121, 21 et 133, 24 comparativorum quos formari necesse erat, nimia longitudine fortasse excusantur [2]); cetera vero maximam partem ne eo quidem praesidio defenduntur, ut auctorem ita locutum esse dicamus, quo maiorem comparativis vim adiceret; nam si graeca respicimus, aut comparativi apparent recte formati aut meri positivi, ut Anonymum sua sponte tam prave comparasse perspicuum sit. Plautus, Terentius hac circumscriptione saepius utuntur [3]), semel Sallustius: Iug. 5; apud Quintil. bis inveni inst. or. IX 4, 15, X 1, 77; altera IV[i] saeculi parte Vulg. Interpr. Sap. 8, 20 *magis bonus al.*; Cassian. I p. 174, 20 (Pe.) *magis utilia et congruentiora*, II. p. 329, 14 *magis evidenter*; Oribas versio [4]) al.

Neque absimiles extant superlativi formati ex positivis et vocibus *maxime; plurimum:* 116, 3 *tristem maxime hominem,* 132, 1 *maxime clara* (Adam. 370 *φανερώτατα*). Quorum prius licet fortasse ita interpretari, ut *maxime* sit, sicut 167, 22, i. q. *potissimum, praecipue,* cuius usus iam Cicero testis est. Alterum vero exemplum, quod plane idem significat atque *clarissima* (cf. graeca), ab optima latinitate abhorret. 158, 9 *plurimum reseratus* (corr. Foe.) Adam 437: *βλέφαρα ἀναπεπετασμένα,* quod ad suam de aetate sententiam corroborandam Maierus adhibuit; sed hac construendi ratione iam usus est Tertullianus de spect. 27 *plurimum dulcibus* (adv. Marc. 1, 1 lectio ambigua est); dein Gargil. Martial. p. 162, 15 *pl. fervens;* Firm. math. 171, 30. 197, 9. 337, 29; Augustin. de civ. dei 5, 3; Sulp. Sev. Chron. 1, 4, 6; Cael. Aurel. chron. 1, 9. 4, 85 bis. 5, 13 [5]). Ceterum hoc loco *plurimum* etiam pro accusativo quem vocant mensurae accipere licet.

---

[1]) Legitime adhibentur a) qui omnino non ut ita dicam organice comparantur: 113, 1. 140, 7. 165, 25. 116, 17. — 152, 12 *magis glaucis proximos;* comparativus *proximior* iam apud Senec. ep. ad Lucil 108, 16 extat; sed si quis hac barbarie uti nolit, scilicet ei dandum est; b) si ex contrapositione intelleguntur: 119, 14, cf. 120, 20. 127, 9.

[2]) Woelfflin, Lat. u. roman. Comp. Erlang. 1879 p. 33.

[3]) Plaut. Amph. II. 1, 54 *magis simile.* Asin. I 1, 106 *magis versutus.* II. 3, 114 *magis sapiens* — Terent. Andr. IV. 2, 15 *magis verum.* Eun. II. 1, 21 *magis severus. magis continens.* Adelph. IV. 5, 30 *magis aperte* al.

[4]) ed. Hagen, in „Zur Gesch. d. Philologie, Berl. 1879" p. 289.

[5]) Woelffl. Comp. p. 30, Archiv. I 100. Sittl. Die lokal. Versch. d. lat. Spr. mit bes. Berücksicht. d. afrikan. Lateins, Erlang. 1882 p. 127.

At multo maioris momenti est gradatio quae duplex vocatur, quae aut in ipsa adiectivi formatione posita est aut in aliis voculis coniunctis cum adiectivo. Atque illius exemplum est apud Anonymum vocis *superius* usus, quae pro *supra* non minus terdecies occurrit (115, 18. 128, 7. 137, 13. 153, 17. 159, 17. 162, 11. 163, 6. 144. 15. 145, 4. 157, 1. 164, 2. 165, 13. 142, 4 [1]), *supra* decies extat (132, 2. 150, 16. 156, 26. 161, 2. 163, 10. 119, 8. 125, 22. 126, 22. 128, 13. 156, 13.) Remotis autem quinque ultimis exemplis in quibus *supra* cum participiis *dictus, scriptus, memoratus* in unam fere vocem coaluit [2]), ratio quae inter *supra* et *superius* intercedit, fere haec est: 1 : 3. Iam notum est hunc comparativi *superius* pro *supra* usum non ante alterum p. C. saeculum increbuisse, tum tempore progrediente ita propagatum esse, ut e. g. Salvianus V[i] saeculi partis prioris presbyter *supra* nisi cum *dictus* et *scriptus* non exhibeat, Boethius autem in commentariis *supra* decies, *superius* praebeat 48[ies] [3]).

Dein gradatio duplex in physiognomonia occurrit vocabulis *magis* et *plus* formata: 157, 7 *color acrior magis quam pressior* Adam. 434 χρῶμα ὀξύτερον, 163, 4 *corpore maiore magis quam minore* Arist. 808[a], 25 εὐμεγέθης. Haec abundantia omissis comicis Valerio Maximo Columella imprimis Afris inde ab Apulei temporibus in deliciis erat. Apul. met. IX 36 *magis irritatiores.* XI 10 *m. aptior,* Tertull. spect. 13 *m. angustiora* al., Arnob. 1,29. 2, 5. 4, 30 al., Dracont. 4, 33, Coripp. Ioh. 7, 539., Fulgent., Cael. Aur., Vict. Vit. [4]), Cassian.[5]) — 117, 6 *plus maior* [6]), cuius pravitatis primum testimonium extare videtur circa 200 p. C. in versione libri Siracidae[7]) 23, 28 *plus lucidiores,* Commodian. apol. 5 (249 p. C.) *p. levior,* Vita Fulg. 26, Cass. Fel. 42. 47, Romul.

---

[1]) quo loco ex Molinii editione restituendum est, cf. Foerster, quaest. phys. p. 6.

[2]) quod nostro iure facimus, quandoquidem haec saltem compositio etiam extremis latinitatis temporibus usitata erat.

[3]) Woelffl. Compar. p. 44.

[4]) Woelffl. Comp. p. 46; Sittl. Afric. p. 100.

[5]) edit. Vindob. Ind. p. 450.

[6]) quo loco Foersterus, meliorum codicum familia (L., A., Mo.) inter ‚*pupilla,* et ‚*est*' ‚*plus*' inseruit.

[7]) Haec versio a Sittelio Afr. p. 100. 101 errore, ut videtur, post Commodiani tempora ponitur, nam versio iam a Commodiano et Cypriano laudatur.

fab. 1, 16, Sulp. Sev. chron. 2, 46, 5, Coripp. Iust. 4, 129, Venant. Fort. v. Mart. 1, 55, Oribas 1, 1 al. [1]).

Neque vero coniugatio, si singula neglegimus, ab optimis temporibus aliena esse videtur; tamen unum saltem ut ita dicam morbi indicium aliquoties reperitur. Utitur enim Anonymus in coniunctivis perfecti passivi pro *sit, sint* interdum nulla sensus discrepantia formis *fuerit, fuerint*[2]) 108, 13 *inventa fuerit;* 108, 15, 123, 7 *conversus fuerit* (Adam. 339 ἐὰν ἄνω χωρῇ); 116, 21 *impugnata fuerint;* 130, 15 *imbutus fuerit;* 145, 8 *circumtecta fuerint;* similem in modum pro simplici *sit, sint* — *fuerit, fuerint* 127, 14. 108, 5, 7, 9, 12, 13 al. Atque etsi fateor per se hic illic cogitari posse de futuris exactis, tamen auctori talem elegantiam iam non adiudicare licere infra videbimus.

Neglegentia autem, de qua dixi, praecipue inde a Madaurensis aetate in latinitatem uberius illata est neque tamen accuratius adhuc explorata a viris doctis. Sed ex Lucifero Calaritano, qui floruit IV[1] saeculi parte altera, multa exempla congessit Hartelius;[3]) nonnulla praebent Scriptores historiae Augustae[4]) et Hieronymus[5]).

Sed haec de nominum verborumque conformatione. Dicam nunc

B. De syntaxeos convenientiis.

Et has eum in modum percensere optimum duco, ut deinceps de pronominum adiectivorum praepositionum proprietatibus disseram, dein loquar de casuum syntaxi, tum de modorum temporumque apud Anonymum vi et indole, postremo ut nonnulla addam de particularum usu.

Brevis ero de pronominibus. Inter pronomina demonstrativa *iste* 122, 5 occurrit pro *hic* vel *is*,[6]) cuius usus exemplum Draegerus[7]) praebet ex Gell. N. A. 17, 12, 4.

---

[1]) cf. Woelfflin. Comp. 47, Arch. I 100; Sittl. Afr. p. 100 sq.

[2]) cf. Neue Formenl. II p. 356 sq., 362 sq. Kuehnast, Livian. Synt. p. 215 fin.

[3]) Archiv III p. 39.

[4]) cf. Paucker, De latinitate script. hist. Aug. p. 81.

[5]) cf. Paucker, De latinitate B. Hieronymi p. 149.

[6]) 160, 23 fortasse suo iure adhibetur.

[7]) Synt. I p. 71.

Deinde quod paulo gravius, pro *talis* Anonymo familiarissimus est genetivus *huiusmodi* (109, 1. 117, 14, 16. 121, 16, 18, 21. 123, 5, 8. 125, 12 multisque aliis locis; quin etiam praedicative prolatus: 120, 9. 136, 10. 148, 3). Etenim hic usus, licet Ciceroni aliisque non ignotus sit, quam maxime inde ab Apulei temporibus in Africa increbruit ita ut — vel omisso substantivo — *huiusmodi* cum praepositionibus coniungeretur, velut *in huius-* (vel *eius —) modi, ab, pro eiusmodi* [1]) simil. Sed, cum his praepositionibus vocabulum supplendum esse post *huiusmodi* indicetur saltem, inauditus videtur — et Maiero (p. 20) hoc indicium esse aetatis ab vegeta latinitate remotissimae statuenti prorsus assentior — vocis *huiusmodi* usus, qui extat p. 137, 20: *certum autem sit nihil simplex huiusmodi nihil securum nihil remissum continere.* Plane hoc loco abiit in adiectivi naturam *huiusmodi,* cuius usus non ante alteram partem saeculi IV[1] obviam eunt exempla apud Vulgatae Interpretes, qui vertunt Epist. ad Rom. 16, 18 *huiuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt* et ad Galat. 6, 1 *vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis.* [2])

Inter pronomina indefinita *quisque,* ut fit, numerum singularem praebet 168, 25 (cf. 169, 8), numerum pluralem, id quod classici quidem auctores reiciunt,[3]) primum sine adiectivo idem significans atque *singuli:* p. 120, 21. 131, 6. 132, 8 (cf. 132, 9 *singulorum);* dein cum adiectivo copulatum bis reperitur idque cum positivo: 1) 109, 12 *singulos quosque homines,* sed ita iam Horatius in arte poetica 92: *singula quaeque.* — 2) 148, 7 *minuta enim quaeque.* Haec cum positivo (qui quidem non ut *egregius, eximius* al. superlativi vicem sustinet) coniunctio apud Sallustium histor. 3, 61, 19 D., dein apud Tacitum annal. 12, 43, Suetonium Oth. 2, Iustinum 37, 3, 5 occurrit, tum vero Afris usitatissima est.[4])

Sequantur iam adiectiva, quae in libello saepissime substantivorum vice funguntur. Itaque numero plurali induuntur: 131, 23 *animi incerta,* 115, 23 *cava quaedam tanquam defossa,*

---

[1]) Sittl, Afr. p. 131.

[2]) Kaulen, Handb. zur Vulgata, Mainz 1870 p. 255.

[3]) cf. Draeger I 85.

[4]) Woelffl. Comp. 80. 81. Paucker, Zeitschr, für Oest. Gymn. 1881, De latinitate scriptor. quorund. saec. IV et V. p. 483.

116, 4. 123, 1, 7 *ad superna,* 107, 23. 157, 4 *pedum ima;* numero singulari accusativus *medium* 150, 17, cum praepositionibus coniuncti accusativi et ablativi sescenties.[1]) Verum non est cur miremur in eo qui auream quam vocant litterarum aetatem non viderit.[2]) Quamquam illud *concavum* 133, 21. 150, 3 (107, 9) non ante IV^um^ saeculum in litteris apparet; nam primus adhibuit Lactantius opif. 10, 17. 15,2, dein Prudent. *π. στεφ.* 10, 977, Claudian. Mamertus p. 147, 7 (Engelbr.) Sidon. Apoll. ep. 8, 9, al.[3])

Et ne hoc quidem — praesertim cum analoga non invenerim — silentio praeterire queo semel Anonymum inusitatius dicere *parvum interest inter* 111, 5. Fluxisse videtur locutio ex illo de quo dixi studio adiectiva substantivorum more proferendi. Etenim in hac quidem verbi *interest* significatione illa neutra quae adiunguntur *(tantum, quantum, nihil* etc.*)* pro nominativis potius habeo quam pro relationis, quam dicunt, accusativis adverbii vice fungentibus.

Sed haec leviora. Gravissimum autem id, quod 127, 24 legimus: *nihil intemptatum facinus, nihil inausum relinquentes.* Adam. 359 *οὐδὲν κακὸν ἀτέλεστον αὐτοῖς.* En *nihil* adiective pro *nullum* adhibitum! Cuius locutionis, quacum non satis apte conferuntur a Maiero p. 8 *nihil tale, nihil quidquam* alia, unum in tota latinitate invenio exemplum idque quarti saeculi parte altera apud Symmachum ep. I 75, ubi est *nihil negotium.* Quod Seeckius in editione secutus Latinium in *nihili negotium* mutandum esse censuit. Verum habete locum: *Quotiens viris militiae notis testimonia deferuntur, decet operam verborum facere compendii, quia nihil(i) negotium est rebus cognitis immorari.* Codices ad unum omnes praebent *nihil.* Latinii vero mutatio et lenissima est et sensu commendatur „weil es ein Geschäft von keinem Werte ist.“ Quare fortasse Symmachus quoque vitio caret, quo laborat Anonymus.

Atque de adverbiis in capite quod sequitur de elocutione accuratius disputabo, nunc duo tantum monebo:[4]) primum ideo

[1]) 107, 3 *prope imum,* 113, 6 *supra medium,* 114, 3 al. *in acutum,* 135, 17 *in rotundum,* 130,4 *ad medium* al. — 115, 4 *in medio,* 133, 21 *in concavo tamquam in defosso,* 135, 19 *in ultimo,* 107, 9 *ex abdito et concavo,* 150,3 *ex cancavo* al.

[2]) Qua de re conferas exempla a Draegero I p. 45 collata.

[3]) cf. Draeg. I p. 42. Georg. s. v.

[4]) Alia vide apud Maierum p. 16.

esse peculiarem adverbii *primo* usum, quod semper pro *primum* adhibetur, adverbium autem *primum* plane non extat: 105, 7. 121, 2 *primo igitur*, 106, 1 *primo igitur-deinde*, 162, 6 *nunc autem primo dicendum est*, 110, 19 *primo-secundo-tertio* (cf. 109, 10 *primo-processu temporis-tertium*, quod fere significat *initio* [1])). Deinde adnoto adverbiorum *intrinsecus* et *forinsecus* usum non consentire cum bonorum auctorum consuetudine. Nam *intrinsecus* p. 121, 12. 126, 21 quidem, ut fit, significat *in interiore parte*; sed 107, 5 inusitatius *interiorem partem versus*, cuius locutionis exempla non habeo nisi haec duo: Sueton. Aug. 95; Plin. nat. hist. XI, 38, 73. Iam *forinsecus* 121, 13 legitime pro ‚von aussen' usurpatur,[2]) sed 133, 18 *forinsecus excedat* (Adam. 399 *προέχοι*) et 154, 25 *forinsecus conversis* audacius dictum esse videtur pro *foras*. Verum s. Maierus p. 17 adverbium sic ab Apuleio solo positum esse contendit, addo Solini locum I 120; Cael. Aur. tard. II 1, 7; Oros. II 4, 12.[3])

Quarto loco fusius dicendum erit de praepositionum proprietatibus, quae ad physiognomoniae tempus eruendum quam maxime idoneae sunt.

Inter eas primum quae accusativum regunt, praepositio *ad* cum aliis locis adhibetur, tum in rectione verborum. De *respondere ad* 154, 23 nihil moneo; fortasse ne *respicere ad* quidem 130, 25. 160, 9. 164, 27 bonorum scriptorum normae repugnat; sed inquinatam iam latinitatem produnt illa: 151, 1 *accipere ad (= in) malam partem* (Adam. 432 *τὸ δὲ ἐναντίον κακόν*) et praecipue 146, 3 *studere ad pulcritudinem* (cf. 168, 7 *pulcritudini studens)* (Adam. 422 *ἁβρύνονται*). Nam prior illa locutio, quae saeculorum longa serie signata quasi erat et corroborata ita, ut aliud verbum alio muniri defendique videretur, talis dico locutio si mutatur, aegrotantis linguae et dissolutae haud spernendus testis est. Neque alterum illud *studere ad* ab ullo bono scriptore in medium profertur, manavit autem ex latiore praepositionis *ad* usu,

---

[1]) Hand, Turs. IV 560 sq.

[2]) Hand, II 704.

[3]) *foris* 152, 17 *(foris sunt et ad aures conversae)*, quod pro *foras* Maierus p. 17 accipit, melius sua et propria vi explicatur, si non ad *conversae* referimus, sed coniunctum cum *sunt* interpretamur: „draussen stehen und".

quae a III° p. C. saeculo magis magisque in dativi locum succedere coepit. De quo audias Sittelium dicentem l. l. p. 126: „Auch die Praeposition ad scheint ihr Gebiet auf Kosten des Dativs zuerst in unserer Provinz erweitert zu haben, wenigstens überschreitet das Gebiet der jederzeit gewöhnlichen Phrasen wie respondere ad u. dergl. zuerst (!) confiteor ad dominum deum bei Tertull. de pat. 1.“ Videntur igitur haec non ante Tertullianum potuisse scribi.

Praepositio *apud* cum insulae nomine coniungitur 169, 18 *apud Samum* i. q. *Sami*;[1]) contra secundum similitudinem *apud iudices* al. videtur esse fictum 128, 9 *apud experientes deteguntur*.[2])

Nec inusitato modo praepositio *iuxta* adhibetur pro vernaculo = neben: 113, 12, 13. 123, 13. 126, 16.[3]) 131, 5, 11 al. — dein idem significans ac *secundum* gemäss: 109, 5. 132, 11. 168, 23, ut aureae latinitatis tempore eam semel praebet Livius 39, 9, proximus est Iustinus 1, 7. 2, 12. 12, 3; serioribus temporibus hic usus percrebruit:[4]) Apul. dogm. Plat. 2, 26. Apul. (?) de mund. 122, 7; Ulpian. Dig. 29, 5, 1, 28, Solin. 9, Chalcid. saep., Hieron. adv. Iov. II 33; ep. 96, 7 al., Vulg. Interpr.[5]), Cod. Theodos. 12, 6, 8. Cod. Iustin., Salvian. ind. p. 343 (Pau.).

Maxime vero memorabile videtur, quod legitur 122, 10 *iuxta pueros*, ubi post *pueros*, ut 122, 17. 146, 5, *dementem* vel *proniorem* vel tale aliquid inserendum est (Adam. 345 *παιδεραστὴν πέρα τοῦ μετρίου*) et 122, 17 *iuxta venerem proniores* (Adam. 346 *εἰς τὰ ἀφροδίσια ἔργα (πάντα) ἐπτοημένοι*, quos locos quominus cum Foerstero[6]) quem et ipsum nunc aliter sentire scio, corrigamus, impedit codicum auctoritas, licet ceteris locis *pronus, furiosus, calidus* semper cum *in* coniungantur. Habemus igitur plane inauditum praepositionis *iuxta* usum = *in* vel *erga*. Namque titulum Interamnatem in quo simile aliquid *amorem iuxta cives* Maierus p. 15 sibi invenisse videbatur,

---

[1]) cf. Draeg. I 545 Roensch, Itala p. 391 sq.

[2]) cf. Draeg. I 540.

[3]) Nam quod de plane singulari *iuxta* = *praeter* disserit Maierus p. 16 et 20, non quadrat. Locus enim vernacula lingua ita explicandus est: „Denn neben = im Vergleich mit diesen (d. h. den zuletzt beschriebenen) Augen ist es vorzuziehen, dass *frons obducitur* etc.

[4]) cf. Draeg. I 545. Hand. III, 542.

[5]) Kaulen p. 205.

[6]) JJb. p. 576, 584.

Bormannus vir doctissimus mecum communicavit pro ficto agnoscendum esse. Cf. Wilmanns exempla 1038. C. I. L. XI, 2, 512*. Quid ita? talis soloecismus qui in physiognomonia bis extat, nonne vel solus Sauppii de aetate libelli sententiam infirmat?

Transeo ad usum praepositionis *in*, atque notatu dignum videtur adhiberi eam coniunctam cum verbis *praevalere*, *praecellere* 120, 11. 164, 22 *praevalere in acumine ingenii, in omnibus;* 142, 7 *praecellere in omni parte virtutis*, cf. 157, 11 abl. simpl. Quae duo verba apud optimos auctores semper merum ablativum flagitant, etiamsi similibus excellendi verbis praepositio interdum adiungitur.[1]) Atque prioris structurae nullum, posterioris unum reperi exemplum idque fere 400 p. C. apud Augustinum de civ. dei 8, 4 *in eo praecellit.*

Praepositione *sub* 129, 22 *sub diversis motibus pupillarum palpebras coniungunt* nihil significatur nisi quo tempore palpebrae coniungantur, eodem pupillas moveri. In Graeco Adam. p. 366 tantum extat *οἱ ἰλλώπτοντες* sc. *ὀφθαλμοί.* Similia esse videntur Celsi 5, 26, 31 *plurimique sub frigido sudore moriuntur*, et Plin. N. H. VII, 12, 52 *memoria haustaeque imagines sub ipso conceptu.*

Reliquum est, ut de praepositione *a, ab* disseram, quae primum bis invenitur, ubi ablativum instrumenti expectamus: 137, 17 *a cogitationibus occupatum animum* (cf. 128, 4. 148, 17 Adam. 395 *δύναται δὲ ἔσθ'ὅτε καὶ φροντιστὴν — σημαίνειν*) et 156, 28 *informati a paucis exemplis.* Increbruit haec constructio apud solutae orationis scriptores inde a tertio saeculo,[2]) neque tamen ignota est prioribus. Exemplis a Draegero I 507—509 collatis addo ex Frontino Strateg. II 4, 9 *consternati a mendacio.* Sed hoc in propatulo est errare Maierum, qui locos illos (137, 17. 156, 28) scriptorem dicit arguere saeculi IV vel V.

Gravius est, quod praepositio *a, ab* ablativis, qui cum comparativis copulati sunt, adiungitur quinquies: 108, 1 *planta a reliquo vestigio elatior*; 114, 5 *linea a cervice superior;* 107, 12

---

[1]) cf. Maier p. 16.

[2]) Gargil. Mart. p. 134, 11 (Ro.) *a nulla alia re — poliatur,* Cyprian. p. 762, 21 (Ha.) *ab aqua perfusi.* Commodian. poet. 1, 35, 5 *exul factus a verbo,* 2, 2, 14. 2, 4, 8. Arnob. 7, 40. Claudian. Mam. p. 72, 18 (Engelbr.) saep., Ennod. p. 374, 5 (Ha.) 479, 1. —

minor pars ab umbilico inferior[1]); 164, 1 *inferiores partes ab inguine;* 107, 15 *capillus a rubeo fuscior.*[2]) Nam haec structura ante tertium p. C. saeculum in litteris nusquam occurrit,[3]) tertio saeculo et quarti parte priore non nisi in Africa, altera tandem saeculi IVi parte etiam inter Italos Gallos alios conspicitur.[4]) Quare, si Anonymum Afrum non esse constaret, aetas eius certis terminis circumscriberetur; nunc quoniam non unum indicium, ut inter Afros eum collocemus impellit, hoc tantum sequitur physiognomoniae auctorem ante tertium saeculum non fuisse. Sed monendum est IIIo saeculo tantum vocabula *plus*, *minor*, *minus* ita constructa inveniri;[5]) iam constructionem hoc aevo furtim etiam adhiberi, non tamen ut apud Anonymum plane in cotidianum sermonem transiisse. Exempla: Nemes. apud Cyprian. (III. saec. med.) p. 835, 4 (Ha.) *a centesimo praemio minor.* Porphyrionis commentar. saepius,[6]) sed, ut videtur, non genuina commentarii forma nobis tradita est.[7]) Commodiani locus apol. 97, quem affert Sittelius, corruptus esse videtur.[8]) Lucifer Calar. d. non parc. p. 286 *eminentior ab Iscarioth Juda*, 293 *minor ab Antichristo.* Servius comm. in Donat. p. 433, 18 K: *quando dico doctior illo et doctior ab illo revera eadem invenitur locutio.* Vulgat. Interpr.[9]) saepe; Cael. Aurel. saep., Cass. Fel.[10]), Cassian.[11]), Soran. gyn.[12]), Boeth. comm. in Ar., Ennod., Venant. Fortun., Oribas., Hippocr. de cib., Anthim.[13]).

---

[1]) inseruit Foersterus.

[2]) *fuscior* ex codicibus et graeco contextu, ut monet Foersterus, restituendum est.

[3]) Perperam citatur Plinii locus N. H. 18, 13, 34 *praestantior ab his* correctus a Detlefseno in edit. III p. 128, 35 *praestantior his.*

[4]) de his omnibus cf. luculentum Sittelii excursum Afr. p. 105 sq.; etiam Woelfflin. Comp. 52. Roensch p. 452 sq. Ott JJb. 111, 795.

[5]) Exempla vide apud Sittel., Woelffl. Roensch. Ott l. l.

[6]) cf. Sittl. p. 105.

[7]) Teuffel, Roem. Litt.[4] § 374, 3.

[8]) cf. adnot. crit. in edit. Vindob. p. 122. Dombart editor in textum recepit *minoris potentiae factos.*

[9]) cf. Roensch p. 452, Kaulen, Handb. p. 220.

[10]) ed. Rose, ind. p. 222.

[11]) ind. p. 438 n. 7.

[12]) ed. Rose ind. p. 149.

[13]) Rose, Anecd. II Ind. p. 202. Singula vide apud Sittelium p. 105 sq., et in auctorum laudatorum indicibus.

Sed ne diutius in praepositionibus versemur, transeundum est ad casuum syntaxeos idiotismos, qui quidem admodum exigui sunt et vix habent quo auctoris tempus definiatur.

Itaque de dativo commemoro haec: 155, 8. 159, 5 *insonare voci, gutturi.* Quod haec vix similitudines habere Maierus p. 19 adnotat, ex iis scilicet quos laudavit Ovidi et Vergili locis nihil colligi potest; contra Ovid. Met. I 333 *conchae sonanti inspirare,* exemplum praebet, quo eiusmodi verba optimis temporibus cum dativo constructa esse probetur.

Sed paulo audacius dictum videtur 136, 13 *convenire sibimet* pro *convenire inter se* neque ego aliud nisi quod Maierus affert (p. 19) exemplum reperi: Ps. Soran. quaestion. medic. ed. Rose Anecd. II. 245, 24 (V. saec.?).

Dein verbum *permisceo* p. 126, 9, 24. 150, 10. 151, 13. 157, 21. 158, 15 cum dativo coniungitur. Quae structura, licet rarius alibi, tamen occurrit apud Plinium N. H. 36, 34, 3 *cerae permixtus,* Silium Italicum X 259 *coeptanti attollere corpus permiscuit ensem,* Lucanum II 253, tum apud Gargilium Martialem p. 210, 27, fortasse 138, 9. 148, 15. 152, 10. — At, quod magis constructione mirandum, est sensus locutionis, qui invenitur p. 126, 9, 24. 128, 5 *oculi risui permixti, oculi risui voluptatique permixti, oculi tremore et pallore permixti,* quibus locis sensus esse videtur; *oculi risu, voluptate affecti* vel *risui etc. proximi.* Hac autem vi praeditum verbum apud ceteros scriptores non legitur ac ne a Gargilio quidem Martiale nisi proprio sensu usurpatur. Quam ob rem, cum ne graeca quidem huius sensus flexionis Anonymo ansam praebuerint — nam p. 126, 9 = Ad. 354 *εἰ δὲ καὶ γελῷεν;* 126, 24 = Ad. 356 *ὀφθαλμοὶ οἷς ἡδονὴ καὶ γέλως ἐνοικεῖ;* 128, 5 = Ad. 360 *εἰ δὲ τρόμος αὐτοῖς ἐνείη καὶ ἅμα ὠχρότης* —, ea aetate, qua floruit auctor, vox innatam et insitam vim plane iam amisisse censenda est.

Deinde dativum *axi* putat esse Maierus (p. 19) 117, 8 *rota axi suspensa,* quocum confert Liv. I, 26, 6 *infelici arbori reste suspendito.* Sed si his locis Hildebrandius et Weissenbornius iure de ablativi forma obsoleta vel rectius de locativo cogitarunt[1]), quid impedit, quominus nostro loco idem statuamus? Nam ablativi formam *axi* praebent codices Erl., Voss. 84 et 86. Ciceronis

[1]) Dr. I 391.

ad Tim. 10, tum Vitruvius IX, 8 (9), 8 et superscriptio ad Hygin. poet. astron. I, 3.[1])

Dicam nunc de modorum temporumque usu. Atque perpauca in universum praemittenda sunt: primum saepius sine idonea causa tempora variari ab auctore, velut 126, 13 *qui — intendunt, — indicabunt,* 134, 22 *sunt proximae et — dabunt,* 108, 4, 6, 8. 127, 12. similia. Qua cum ratione concinit quod in enuntiatis principalibus indicativus et coniunctivus interdum promiscue adhibentur, velut 129, 17. 137, 20 *sit certum,* 155, 4. 169, 7 *est certum.* Deinde in iis enuntiatis quae pendent ab aliis, persaepe nec modorum nec temporum ratio habetur; verum de his nunc singillatim videamus.

I. Enuntiata a coniunctione *cum* pendentia.

1) *Cum* concessivum bis occurrit: 105, 8. 106, 5, sequitur coni.;
2) *Cum* causale semel 137, 2, sequitur coni.;
3) *Cum* temporale
   a) in oratione recta usurpatur 1) c. ind. 86[ies]: 107, 11. 108, 17. 111, 23. 113, 18, 19 al. 2) c. coni. 5[ies]: α) praes. (= ind. praes.) 130, 8 *Palpebrarum capilli cum sint nigri —, — indicant.* β) perf. (= ind. praes.) 120, 12 *cum glaucae — fuerint pupillae, dementiam indicant* 165, 10. 167, 24, 25.
   b) in oratione obliqua 1) c. coni. ter. α) praes. 133, 20. β) perf. (= coni. praes. s. imperf.) 153, 14 *Aristoteles dicit: cum frons compressior fuerit —, liberales esse.* 105, 12. 2) c. ind. 14[ies]: 152, 20 *idem dicit, cum pupillae pars — contegitur, mollioris animi esse.* 152, 28. 153, 15. 155, 22, 24, 26. 156, 8. 164, 23, 24, 165, 5.[2]) 133, 19. 154, 14 *idem dicit imperitos — esse, qui cum incedunt, brachia inferunt* 154, 17, 25[3]).

Hanc tabulam si perspicimus, nonnulla non desunt, quae ab aureae latinitatis auctoribus abhorreant, ut *cum* temporale in

---

[1]) Neue I 218.

[2]) Qui olim extabat coni. imperf. 165, 5, a Foestero quaest. phys. p. 5 in *est* correctus est.

[3]) Sed haec tria fortasse excusantur, quia etiam in enuntiatis a quibus pendent, relativis — licet non recte — indicativus extat.

oratione recta cum coniunctivo praesentis s. perfecti[1]) aut in obliqua oratione cum indicativo coniunctum.[2]) Temporibus vero respectis satis singularis videtur ille perfecti temporis pro praesente usus. Sed priusquam iudicemus, percensenda sunt cetera.

II. Enuntiata a coniunctione *prout* pendentia.

a) in oratione recta occurrunt: 1) c. ind. praes. ter: 131, 6. 145, 19. 151, 3. 2) c. coni perf. sive ind. fut. exact. quater: 137, 18 *potest ad malignitatem pertinere, prout cetera signa congruerint.* 165, 11 *medietas non ex mensura — certa capienda est, sed prout eam ratio dictaverit.* 168, 25. 106,9.

b) in oratione obliqua c. coni. perf. (= coni. praes.) semel: 105, 11 *Loxus — constituit corpus — pro vivacitate vel inertia sanguinis et prout tenuis seu crassus magis fuerit —, dare signa diversa.*

Mirum fortasse videtur tam caute me interdum de modorum distinctione (utrum coni. perf. an ind. fut. exact. sit) statuere, praesertim cum 165, 11 et 168, 25 ex enuntiatis principalibus luce videatur clarius esse formas *dictaverit* et *fuerit* esse futura exacta. Noluerim tamen horum futurorum patrocinium suscipere. Nam sine ullo notionis discrimine ab Anonymo modo cuniunctivos perfecti modo praesentis aut coniunctivos aut indicativos adhiberi non negabit, qui legerit: 123, 14 *et quanto magis umidi fuerint et si plerunque palpebras iungunt, — profitentur,* 123, 1 *oculi qui ad superna versi sunt si etiam pallidi fuerint, — faciunt,* 108, 8 *in quocunque corpore pars — maior fuerit —, vel vertex — se conferat, — assignantur* e. q. s., similia permulta. Itaque vereor ne omnino auctor coniunctivi perfecti formam usurpaverit pro ind. s. coni. praesentis nulla alia causa perductus nisi ut copiosior esset sententia.[3])

---

[1]) cf. Draeg. II § 498, 1c. De hoc usu qualis sit apud Lucif. Calar. cf. Hartel, Archiv III p. 53 sq.

[2]) Draeg. II 416 sq. 419. 420.

[3]) Dico eum e. g. 105, 12 et 153, 14 nisi coni. perf. adhibuisset, ut 14 ceteris locis (cf. supra enunt. a *cum* pend.) positurum fuisse indicativum praesentis.

III. Enuntiationes condicionales, quae a particula *si* suspensae sunt reales (s. potentiales)

A. in oratione recta occurrunt:

1) cum indicativo prolatae 15ies: α) praes. 10ies. 114, 8. 123, 13, 15. 128, 1. 129, 10 al.; β) perf. bis: 116, 16. 106, 8; γ) fut. ter: 117, 21. 129, 16 al.

2) cum coniunctivo fere 85ies: α) praes. 67ies, ubi in ἀποδόσει 1) ind. praes. 41ies: 123, 2 *si subrubeant et magni sint, vinolentos — ostendunt,* 124, 3, 7. 126, 5. 127, 7, 10 al. 2) ind. fut. 11ies: 122, 22 *si et tremor eos exagitet, — vitia erunt in his vehementiora.* 118, 12. 127, 20. 130, 25. 134, 11 al. 3) gerund. 5ies: 161, 1 *his igitur indiciis — si accedant — ferociora —, etiam malitia non inferior quam stultitia adiudicanda est,* 123, 20, 21. 127, 2. 149, 4. — β) perf. 28ies [1]), ubi in ἀποδόσει 1) ind. praes. 16ies: 114, 7 *cutis — laxior si fuerit, — indicat,* 122, 8, 14. 123, 1, 16 al. 2) imperat. praes. semel 169, 6 *si — proximus quis fuerit, — confidenter ascribe.* 3) ind. fut. 6ies: 108, 14 *si vertex — conversus — fuerit, — assignabitur,* 123, 17. 127, 12. 141, 2. 169, 3. 147, 17. 4) imperat. fut. bis: 125, 17 *si — habuerint, — accipito,* 108, 18. 5) gerund. ter: 141, 4 *si rotundum — fuerit, non est recusandum* 142, 4. 123, 7.

Videmus igitur summam in enunt. condic. realibus singularitatem, nam contra 15 indicativos fere 85 stant coniunctivi. Concedo horum unum alterumve potentialem esse posse nec non coniunctivos perfecti, quos sub 2 β 2—5 laudavi, ex parte pro indicativis futuri exacti explicari posse. Quamquam ut supra ita hic coniunctivos perfecti intellegendos esse probaturum me esse confido. Nam primum Anonymum temporum quam vocant consecutionem minime respicere satis patet ex eo, quod, quamquam in ἀποδόσει est ind. fut. s. gerund. (cf. 2 α 2, 3), tamen in προτάσει non futurum tempus occurrit, sed coniunctivus praes., deinde quod uno eo loco quo coniunctivi perf. forma a futuro exacto discerni potest 147, 17, non

[1]) huius usus exempla ex Ammiano Marcellino collecta cf. ap. Hassenstein, De syntaxi A. M., diss. Lips. 1877 p. 43. Sex. Pomponium hoc *si-fuerit* adamasse Foersterus mihi scribit.

futurum tempus, sed coniunctivus perfecti *(procurata sit)* reperitur, tum quod 123, 7, 9, ubi dixit *conversus fuerit,* pergit auctor *accedat.*

B. ab aliis enuntiatis pendentia condicionalia inveniuntur

I) in oratione obliqua cum coniunctivo 9ies: α) praes. 5ies: 152, 23 *idem dicit palpebram — si parva sit, — ostendere,* 152, 28. 153, 11. 155, 24.[1]) 153, 9[2]), 11. β) perf. quater: 152, 26 *idem dicit circumcisionem — si rotunda fuerit, — indicare* 152, 27. 128, 14, 16.

II) in enuntiatis consecutivis bis, ut solet, c. coni. α) praes. 130, 21; β) perf. exact. 116, 21 *indicia applicanda — sunt indiciis oculorum, ut si impugnata non fuerint —, tunc rata sint.*

Ad optimorum igitur scriptorum normam si haec exempla exigimus, videtur scriptor orationem obliquam formasse. Iam vero recorderis, quotiens peccaverit contra eiusdem leges in exemplis supra prolatis.[3]) Vides casu tantum ac fortuito vitiis carere, quae modo citavi. Nam si recte se habent, quae supra de coniunctivi perfecti condicione disseruimus, ut legitimus dicendi usus demonstretur, horum coniunctivorum perfecti ratio haberi non potest.

IV. Enuntiationes relativae.

Vel in his libelli auctor depravatae, si cum classica comparatur, linguae nonnulla vestigia exhibet.

Nam licet in oratione recta indicativus fere 300ies praesto sit, tamen in obliqua idem modus non minus 50ies extat, atque rarissime ita, ut possit excusari. Quin in omnibus orationis obliquae enuntiatis non nisi tres sententiae relativae sunt, quae coniunctivum praebent, sed quae etiam in oratione recta coniunctivum flagitent consecutivae: 110, 15. 130, 13. 154, 27.

Cum coniunctivo relativa fere 45ies coniunguntur 1) sensu finali tria 110, 2. 146, 7. 160, 8 2) consecutivo viginti quattuor 105, 4. 106, 13. 126, 2. 132, 17. 158, 20 al. (tria in or. obl. v. s.) 3) condicionali fere septendecim: 108, 5 *quae in quocunque sexu fuerint, magis edent ex sese fetum generis masculini* 108, 7, 8. 109, 21.

---

[1]) ubi Foersterus JJb. p. 587 *si sit* ante *siccis* inseruit.

[2]) *si quidem — sint* corr. Foersterus.

[3]) cf. p. 24 I 3b.

110, 8 *ubi — signa convenerint, pronuntiandum* . . . 110, 21. 113, 1. 120, 3. 121, 7, 10, (13, 14, 15, 16). 121, 21. 122, 5. 123, 14. 125, 12. 126, 15, 19. 142, 5 [1]). Priora duo exemplorum genera nihil habent, quod corruptum sermonem resipiat, tertium permirum est. Etenim — excepto uno 109, 21, quo loco coni. plusqu. extat — haec enuntiata omnia praebent coniunctivum perfecti, cuius de indole idem intellegi volo, quod supra saepius constitui. Dein silentio non praetereo etiam relativum *quicunque* in libello quinquies cum coni. perf. coniungi (cf. 108, 5, 7, 8. 109, 21. 110, 21), c. ind. tantum quater (110, 19. 112, 9. 139, 1. 168, 8); quod eam ob rem memoratu non indignum est, quia relativa generalia apud solutae orationis auctores vel argentea aetate fere semper indicativus sequitur, qui inferioribus temporibus paulatim crebrescente coniunctivo in romanicis linguis removetur. [2])

De ceteris quae ab aliis pendent enuntiatis addidisse satis habeo, — omissa coniunctione *quamquam* c. coni. 157, 1 [3]) — omnia (consecutiva, interrogativa alia) legitime prolata esse.

Sed nunc — antequam infinitivum tractemus — quid de modorum temporumque indole in universum colligendum sit, brevi complectamur.

Primum ut de modis dicam, Anonymus saepissime

A. in oratione recta pro indicativo coniunctivum exhibet: 1. post particulam *cum* 5ies (indicat. 86ies); 2. post part. *prout* quater (indicat. ter); 3. post part. *si* fere 85ies (indicat. 15ies); 4. post relativa 17ies (indicat. fere 300ies).

B. in oratione obliqua modorum leges prorsus neglexisse censendus est; nam pro coniunctivo extat indicativus: 1. post partic. *cum* 14ies (coni. ter, sed bis coni. perf.) 2. post relativa fere 50ies (coni. nusquam) 3) post part. *prout* — (coni. semel, sed coni. perf.) 4. post part. *si* — (coni. 9ies, sed quater coni. perf.)

---

[1]) 167, 8 scribit Foersterus *acceperunt*.

[2]) Draeg. II, 498. Alia exempla vide apud Hassenstein, De syntaxi Amm. Marc. p. 46 et praecipue ap. Hartel, Lucifer von Cagliari und sein Latein, Archiv III p. 52 sq., et in Ecclesiasticor. indic. Vindob. Claudiani Mamerti, Cassiani, Sedulii, quae IV1 saeculi parti alteri quidem hanc temporum modorumque confusionem familiarem fuisse satis probant.

[3]) Dr. II 738, 9. Hassenstein p. 45.

Tum inter tempora coniunctivus perfecti suam et propriam vim plane exuit; adhibetur sine sensus discrepantia idem significans quod indicativus s. coniunctivus praesentis [1]).

Quae cum ita sint, quaeritur quae ratio in his intercedat Anonymo cum graecis exemplaribus. Quoniamque si singula persequi vellem, longior fieret expositio, pauca proferam, quae sufficiant. Itaque

ad I) de coniunctione *cum* haec commemoro: 123, 12 *cum — pravi — sunt* = Ad. 340 παραβλῶπες ὄντες; 125, 22 *cum parvi sunt* = Ad. 352 εἰ δὲ καὶ μικροὶ εἶεν; 126, 9 *cum — risui permixti sunt* = Ad. 354 εἰ δὲ καὶ γελῷεν; 126, 24 *cum — sunt* = Ad. 356 οἷς — ἐνοικεῖ; 127, 12 *cum — subrident* = Ad. 358 μειδιῶντες; 128, 6 *cum — coniungunt* = Ad. 360 εἰ — ἀπορρέοιεν; 128, 12 *cum — pates-cunt* = Ad. 362 ἀνοιγόμενοι; 129, 9 *cum — sunt* = Ad. 364 εἰ εἶεν.

ad II) ad *prout* exempla non extant.

ad III) ad coniunctionem *si* confero p. 123: 123, 1 *si — fuerint* = Ad. 338 εἰ — εἰσίν; 123, 2 *si — subrubeant* = Ad. 338 ὑπέρυθροι; 123, 7 *si — fuerit* = Ad. 339 ἐὰν δὲ — χωρῇ; 123, 11 *si — se conferant* = Ad. 340 εἰ — χωροῖεν; 123, 13 *si — conveniunt — occurrunt* = Ad. 340 = εἰ — νεύοιεν; 123, 15 *si — iungunt* graec. deest; 123, 16 *si — fuerint* = Ad. 341 ἐὰν — ὦσιν; 123, 17 *si — fuerint* = Ad. 341 εἰ — ἐνείη; 123, 20 *si — submoveantur* = Ad. 346 ὁπόσοι — ὑποκινοῦνται; 123, 22 *si — interveniat* = Ad. 347 εἰ — κατηγορείη.

ad IV) (relativa): 121. 7, 8 *ubi — fuerint* = Ad. 343 ὁποσοις — ἐπιπρέπει; 121, 10 *ubi — fuerint — permixtae sint — ambiant* = Ad. 343 ὅσοις — ἔνι — μεμιγμέναι εἰσὶ — περιθέουσι.

Quid plura? Ex iis quae protulimus satis patet non tam graeca vestigia pressisse auctorem [2]) quam ex suo ipsius dicendi genere et aetatis talem in modum locutum esse: ita iam a summa elegantia sermo latinus descenderat.

Sed ut redeat, unde aberravit disputatio — neque enim ignarus sum me de modis temporibusque uberius egisse quam

---

[1]) de quibus omnibus cf. tabulas supra prolatas.

[2]) nam in enunt. a partic. *cum* pendentibus in graeco fere coni. s. optat. s. partic. extat, apud Anonym. indicativus; enuntiata condic. praebent indicativ., ubi Anon. coniunctiv.; coniunctivum s. optativum, ubi Anon. indic; praesens tempus, ubi Anon. perfectum; similis ratio cadit in relativa.

res proposita ipsa flagitat, — afferantur nunc infinitivi proprietates.

A. De infinitivo simplici.

Primum illud *crassae nares immundum hominem dant intelligi* 134, 18 (Adam. 400 *μιαρίαν ἤθους κατηγορεῖ*) vereor ne non recte Maierus (p. 18) pro infinitivo „consilii" [1]) interpretatus sit. Mihi quidem potius accusativus cum infinitivo esse videtur, qui pendeat a verbo *dare* i. q. *facultatem dare*, *efficere*. Nam talia efficiendi verba imprimis serae latinitatis temporibus ita adhiberi Draegerus in syntaxi II, 393 sq. docuit. Verbum *dare* illic quidem omittitur, sed addatur ex Ammiani Marcellini [2]), Sidonii Apollinaris, nostro loco. Iam quod dicit Maierus infinitivum passivi inveniri „rarissime", errat profecto, nam frequenter infinitivum a medio saec. III occurrere exempla ostendunt: Garg. Mart. p. 159, 7 (Ro.); Iub. metr. ap. Rufin. p. 562, 17, ap. Mar. Vict. p. 49, 32. 97, 13. 105, 33 [3]). Chalcid. Tim. p. 22, 17 (Wro.); Lucif. Cal. p. 67, 22. 158, 12. 215, 7 al. (Ha.); Claudian. Mam. p. 57, 6. 62, 1. 65, 10 (Engelbr.) Quamquam post activum verbi *dare* talem infinitivum passivi tantum reperi apud Sidonium Apollinarem p. 308, 26 (Luetjoh.).

Audacius dein p. 132, 2 *dubium non esse* cum infinitivo coniungitur: *nec dubium erit pronuntiare de eo — crudelem esse* (es wird nicht bedenklich sein zu sagen). Et cum hic idem fere significet ac *non dubitare* c. inf. (cf. 169, 2, 4), perspicuum est ex huius verbi similitudine etiam nostrum in locum infinitivum irrepsisse. Ita constructa, sed alia vi praedita (zweifelhaft) haec locutio V^i saeculi parte posteriore semel legitur apud Claudianum Mamertum p. 64, 11, ubi extat: *dubium non erit esse corpus* [4]).

B. Nominativus cum infinitivo

in libello his verbis adiungitur: 1) *aestimari* 111, 8. 125, 12; 2) *credi* 149, 6; 3) *declarari* 145, 10; 4) *dici* 129, 6; 5) *existimari* 124, 3; 6) *memorari* 117, 12; 7) *monstrari* 110, 2; 8) *nosci* 129, 11.

---

[1]) Dr. II 349 sq.

[2]) cf. Hassenstein p. 49.

[3]) cf. Hense, Act. soc. philol. Lips. IV p. 114.

[4]) Quod ad *pati* Maierus p. 17 affert: *pati c. inf. simpl.* 111, 1 *rarissime* nullius momenti est; namque elucet illic non infinitivum pendere e verbo, sed, ut fit, acc. c. inf., omisso tamen, ut saepe aliis locis cf. 128, 14. 133, 19. 135, 13. 153, 15. 21 al., subiecto, quod ex *homo* antecedentis enuntiati supplendum est.

De 2) et 4) — 6) nihil addo[1]; sed 1) *aestimari* (= existimari) et 3) *declarari* hunc in modum prolata ἅπαξ λεγόμενα esse videntur. — 7) *monstrari* secundum Draegerum II, 427 ‚erst bei Arnob. 3, 16'; sed praesto sunt e medio fere tertio saeculo Cypriani locus p. 615, 24 (Ha.) *ecclesia catholica una esse monstrata est*; dein Lucifer Calar. p. 109, 22 (Ha.), Cael. Aur. tard. III, 8, 100; Cassiod. in ps. 134, 7. — 8) *nosci* primum occurrit IV[1] saeculi initio in Edict. Licin. ap. Lactant. m. pers. 48, 9[2]); dein Lucif. Calar. p. 35, 12 (Ha.), Amm. Marc. 23, 6, 63; Cass. Fel. 47 p. 120 (Ro.); Cael. Aur. acut. II, 9, 44 tard. I, 1, 49. 40 al., Victor Vit.; Cassiod. in ps. 118, 169[3]).

C. De accusativo cum infinitivo
et de eis structuris, quae loco eius ponuntur.

Accusativi c. inf. plus centum exempla sunt, inter quae tantum haec duo digna, quae notentur:

Dixi de 134, 18 *nares — hominem dant intellegi.* Accedit 143, 17 *contingit* c. acc. c. inf., quod bona aetate particulam *ut* requirebat vel infinitivum simplicem[4]). Accusativum cum infinitivo saepius inveni a IV[1] saeculi parte posteriore apud Vulgatae Interpretes[5]), Victorem Vitensem, Eugippium Vit. Sev. p. 10, 12. Maiero vero saec. IV/V hunc usum tribuenti obstat Asclepii interpres p. 44, 7. 59, 7 (Goldb.).

Venio ad ea enuntiata, quae sequiore uti genere dicendi interpretem maxime arguunt pendentia illa ex particulis *quod* et *quia*, ubi proba lingua accusativos c. inf. postulabat. Nam pro his in physiognomonia particula *quod* non minus novies occurrit, *quia* bis. Cum vero ex altera parte accusativi c. inf. serventur fere 110, ratio quae inter coniunctiones et accusativos c. inf. intercedit, est 1 : 10. Respuit hanc structuram prisca et Ciceroniana aetas, rarissime admittit argentea, secundo demum saeculo vergente, tertio ineunte exemplorum numerus magnopere increbruit, sed ita, ut saeculo post vix amplior factus sit.[6])

---

[1]) cf. Dr. II p. 423 sq.
[2]) Dr. II 428.
[3]) Paucker, Subrelicta p. 22; Spicileg. p. 179 n. 37a.
[4]) Dr. II 230.
[5]) Kaulen p. 244.
[6]) cf. Mayen l. l., p. 46—49. Ratio apud Gellium est 1 : 111, ap. Iustinum 1 : 44, Apul. 1 : 33, 6, Tertull. 1 : 33, Cyprian. 1 : 12, Lucif. 1 : 6, sed Macrob. 1 : 27, Mart. Capell. 1 : 31; Cael. Aurel. 1 : 13. ap. Anonymum 1 : 10.

Verum haec tantum de particula *quod* valent, *quia* ne Apuleio quidem placuit. Etenim prima huius structurae testimonia praebet versio latina Sacrae Scripturae, qua usus est Tertullianus;[1]) apud Tertullianum ipsum ratio, quae fit inter *quod* et *quia*, est 5 : 1 (similis ap. Anon.), apud Cyprianum fere 1, 6: 1, ap. Luciferum 2, 5 : 1.

Denique verba, e quibus pendent haec enuntiata, sunt *in* particula *quod:* 1) *scire* 111, 27 c. ind., 112, 14 c. coni. — Phaedr. V, 2, 12, [2]) Petron. § 71, Tertull. de fug. c. 3 al. Cyprian. ep. 58 c. 5 al. etc. Vulg. Interpr. — 2) *addere* 125, 5 c. ind. — Plin. epist. III, 9, 6; Gell. VI, 7, 5, Spart. Sev. c. 11, 9 3) *pronuntiare* 123, 10 c. coni.; 132, 5 cum ellipsi verbi finiti — Lactant., [3]) Lucif. Cal. p. 205, 17 (Ha.) — 4) *cognoscere* 136, 10 c. coni. — Iustin. 1, 7 § 9. 2, 5 § 13 al., Quintil. (?) decl. mai. XVI, Tertull. adv. Prax. c. 13, Cyprian. ep. I. c. 1, Scr. hist. Aug., Vulg. Interpr. — 5) *dicere* 152, 17 c. coni. — Petron. § 46, Gell., Hygin. astron. II 31, IV 14, Tertull. adv. Iud. c. 3 al., Cypr. ep. 74 c. 5 al., Scr. h. A., Lact., Lucif., Vulg. Interpr. al. — 6) *palam esse* 137, 10 c. coni. 7) *retinendum* 168, 27 c. coni. Ad 6) et 7) analoga investigare non potui.

Particula *quia* pendet a: 1) *scias* 125, 12 c. ind.[4]) — Tertull. de virg. vel. 17; Cyprian. ep. 59, 18 al., Lucif. p. 278, 17 al., Vulg. Interpr. — 2) *certus esse debes* 121, 3 c. ind. Cum *quia* coniunctum *certum esse* non ante Vi saeculi finem idque semel reperi ap. Vict. Vit. II 99. Sed simillima etiam IIIo saeculo occurrunt, ut illud *manifestum quia* in Sacrae Scripturae versione qua utitur Cyprianus nec non in Cypriani ipsius scriptis. Cum *quod* iam praebet Apul. metam. IX, 18.

Quae cum ita sint, ne hic quidem usus[5]) saeculo IV/V adscribi potest, sed si per se spectatur, vel cum Cypriani aevo i. e. medio tertio saeculo concinit.

Haec de modis et temporibus.

Extremo loco pauca subnectantur de usu particularum. Ex copulativis tangam *nec non et* p. 135, 2. 165, 1, qualis synonymorum coacervatio Africitati quam vocant in deliciis erat.[6])

---

[1]) cf. Mayen p. 30.

[2]) sed cf. Mayen p. 15 sq., quod etiam de sequentibus semel dixisse satis habeo.

[3]) cf. Dr. II, 226.

[4]) quo loco Foersterus pro *quod* restituit *quia* cf. Mayen p. 31.

[5]) ut vult Maierus p. 20.

[6]) Woelfflin, Sitzungsber. d. bayr. Acad. 1880 p. 427. Sittl. p. 98.

Quamquam haec phrasis etiam legitur apud poetas Vergilium, Silium Italicum, Iuvenalem, apud solutae orationis scriptores Plinium (N. H.), Suetonium, Iustinum alios.[1])

Ex disiunctivis p. 152, 6 *seu* i. q. *aut;* quo sensu negat C. F. W. Muellerus[2]) Apuleium eam usurpare. Neque vero video, cur verbis 169, 17 *ne vel hoc omissum sit* abutatur ad tempus definiendum Maierus p. 20, quae verba, quorum sensus est „damit selbst dies nicht übergangen sei", puto ne Ciceronem quidem aliter redditurum fuisse[3]).

Ex comparativis mirum quidem est p. 115, 22 *ut in ea existant sicuti colles*, quia *sicuti colles* quasi in unam coaluit notionem. Ne quid tamen inde (ut Maiero visum est) de aetate colligas. Nam ut Ciceronis aetate ita quarto et quinto saeculo nemo sic locutus est. Nimirum ex graeco auctor adverbium vertit: Adam. 403 *μηδαμῇ τραχεῖ μετώπῳ χαῖρε, μηδὲ ὥσπερ λόφους καὶ ὀρύγματα ἔχοντι ἐν αὐτῷ.*

Denique de interrogativis commemoretur particulas *an - an* 125, 21. 159, 6. 137, 16 — ut ex sensu disiunctivo nec non ex similitudine sententiarum patet, quae est inter 137, 15 et 136, 24, ubi *utrum - an,* — eodem modo usurpari atque *utrum - an.* Et haec proprietas, de qua Handius in Tursellino tacet, etsi raro tamen etiam alibi occurrit[4]): Plin. N. H. 15. § 6; Colum. I, 1, 3; Cels. 3, 6; Iustin. 24, 7, 1; Apul. Met. 11, 6.

Sed haec hactenus. Nunc paululum subsistamus et videamur, quid lucri ad solvendam de tempore quaestionem ex re grammatica redundarit.

Primum igitur nemo eis quae contra Apuleium auctorem disputavimus, nunc non adstipulabitur, sed etiam hoc concedet secundo saeculo librum non esse scriptum. Argumento sunt enuntiata illa loco accusativi c. inf. a particula *quia* pendentia, quibus

---

[1]) Hand IV, 112.

[2]) Draeg. II, p. 148.

[3]) Quod ad *vel* 111, 27 profert idem auctor (p. 14) *pro vel potius,* quovis fundamento caret. Nam, ut permultis locis probari potest (cf. 146, 15 cum 18, 147, 13 cum 19; 159, 21, *indicia* 161, 1 cum *signis* quae p. 160 occurrunt), *signa* et *indicia* ita non discernuntur, ut utique adhibeantur promiscue.

[4]) cf. Dr. II 461.

Madaurensis eiusque tempus reicitur;[1]) dein pro eadem structura cum particula *quod* in tantulo libello appareat novies, aetas indicatur etiam post-Tertullianea;[2]) quacum optime consentiunt illa *plus maior*;[3]) praepositio *a*, *ab* post *occupari*, *informari* pro abl. simpl.;[4]) *monstrari* cum nom. c. inf.[5]), *contingere* cum acc. c. inf.[6])

Ac ne tertio quidem saeculo libellum scriptum esse cum Maiero credo sermonem docere. Sed quo magis in universum cum eo consentio, eo cautius abstinebo levioribus illis argumentis, quibus nisus Maierus saepenumero praepropere iudicavit.[7])

Itaque ut incerta a certis circumspecte segregemus, nil concludam ex comparativi *superius* pro *supra* frequentissimo usu, etsi equidem non puto ex consuetudine III[i] saeculi haec dicta esse.[8]) Nec non modorum temporumque pravitas, imprimis enuntiata relativa in oratione obliqua semper cum indicativo coniuncta[9]) *quicunque* cum coniunctivo,[10]) coniunctivus perfecti eodem modo usurpatus atque indicativus seu coniunctivus praesentis,[11]) haec omnia num frequentius ante Luciferum inveniantur, vehementer ego dubito.

Alienae autem ab hoc saeculo esse videntur structurae quales sunt *studere ad pulcritudinem*,[12]) *permixtus* c. dat. s. abl. = *proximus* ter adhibitum,[13]) inauditum illud *nihil facinus*=*nullum facinus*,[14]) denique incredibilis plane praepositionis *iuxta* usus[15]).

---

[1]) cf. supra p. 32.
[2]) cf. s. p. 31.
[3]) cf. s. p. 15.
[4]) cf. s. p. 21.
[5]) cf. s. p. 31.
[6]) cf. s. p. 31.
[7]) De: *a* cum abl. pro abl. simpl. cf. supra p. 21; *de* c. abl. pro genetivo cf. p. 13 adn. 1, *quod* et *quia* post verba sentiendi declarandique cf. p. 31, 32; *contingit* c. acc. c. inf. cf. p. 31; *magis* comparativis et superlativis appositum p. 15; *iuxta* = *praeter* p. 20; *sub diversis motibus* p. 21; *plurimum separatus* p. 14; *color niger lenis* p. 10; *sicuti colles* p. 33; *ne vel hoc omissum sit* p. 33; *persona* p. 10; *gratus* p. 10; *inoffensus* p. 10; *promptus* p. 10; *officiosus* p. 10; De *accorporatus*, *informatus* vide infra pp. 41, 45.
[8]) cf. supra p. 15.
[9]) cf. s. p. 27.
[10]) cf. p. 28.
[11]) cf. p. 24 sqq.
[12]) cf. p. 19.
[13]) cf. p. 23.
[14]) cf. p. 18.
[15]) cf. p. 20.

Deinde passivum *nosci* c. nom. c. inf. ante quartum saeculum in litteris non reperitur;[1]) et pronomen *huiusmodi*, quod extat omisso substantivo pro accusativo prolatum, exempla non habet ante quarti saeculi finem.[2]) Accedit gravissimum: ablativus a praepositione *a*, *ab* pendens e comparativis quinquies.[3]) Auget rei novitatem comparativorum, quibuscum iungitur ablativus, condicio.[4]) Nam licet structura, qua de agimus, inde a tertio saeculo uno vel altero loco obvia sit, tamen non ante quarti finem usitata est neque ante hoc saeculum cum aliis comparativis nisi *plus, minor, minus* coniuncta esse videtur.[5])

Haec omnia si tecum reputaveris, sine dubio concedes non solum magnopere esse veri dissimile Anonymum ante quartum saeculum vixisse, sed videri eum vel post medium saeculum libellum confecisse.

Cum hac autem opinione magis quam cum Sauppio concinit, quod non paucae physiognomoniae locutiones demum quarto vel quinto saeculis reperiuntur, ut *concavum* pro substantivo adhibitum,[6]) *pronuntiare quod*,[7]) *certus quia*,[8]) *praecellere in*,[9]) *dant intellegi*,[10]) *dubium non esse* c. inf.[11])

Sed ne ipse in temeritatis quam modo vituperavi, vitium incidam, pergam singula persequi. Patet enim nisi omnibus sermonis provinciis perlustratis pro certo constitui nihil posse. Quare nunc, quoniam tripertito rem tractari voluimus, consideremus alteram partem, quae erat

---

[1]) cf. p. 31.

[2]) cf. pag. 17.

[3]) cf. p. 21.

[4]) *elatior, superior, inferior, inferiores, fuscior.*

[5]) cf. Sittl, Afr. p. 105 sq.; Woelfflin, Comp. p. 52; Roensch, Itala p. 452. IV° saeculo et posterioribus occurrunt: *meliores* Primas.; *priorem, maior* Cereal.; *amplior, meliora, maior, melior* Theod. Mops.; *maior* Passio Felic.; *gravabilius, gravior, magis, diligentius* Cael. Aur.; *eminentior* Lucif.; *doctior* Serv. comm.; *mendacior* Boeth. comm.; *clarior* al. Ennod.; Vulg. Interpr.: *sublimius, amplius, melius, sceleratius*, al.

[6]) cf. supra p. 18.

[7]) cf. p. 32.

[8]) cf. p. 32.

[9]) cf. p. 21.

[10]) cf. p. 31.

[11]) cf. p. 30.

Pars II. De elocutione Anonymi.

Notum est in omnibus linguis, quo diutius litteris tractentur, eo magis verborum vim conteri et plus minus infirmari. Ex quo fit, ut qui depravati sermonis temporibus litteris operam dant, verba, quae vetustate labem traxerunt, similibus verbis corroborare aliisve modis augere cogantur. Hoc vero cum ceteroqui cognoscitur, tum in gradatione, quae sequioribus latinitatis saeculis infringitur ita, ut e. g. comparativi superlativique eodem fere sensu adhibeantur quo positivi. Atque de hac ipsa re, cum cetera probare vix queant, paucis nunc disseram. Peropportune autem accidit, quod graeca exemplaria — ex parte saltem — praesto sunt, ita ut plane perspici possit, quae in nostro libello agnoscenda sit genuina gradatio, quae parum iusta prolata sit.

Primum igitur adiectivum *nimius* in libello idem significat quod *magnus, multus,* velut: p. 145, 8 *nimio capillo circumtecta* = Adam. 419 *ἐπὶ πολὺ κομῶντας*.

Similem in modum adverbia *nimis, nimium,* si nominibus verbisque adiuncta sunt, eandem saepe vim habent atque *valde, magnopere,* ut 125, 1 *oculi nimium prominentes* = Ad. 349 *πολὺ ἐξέχοντες*; 139, 4 *pleni nimium* = Ad. 389 *πάνυ σαρκώδη;* 144, 17 *molles nimium* = Ad. 418 *μαλακαῖς δὲ πάνυ;* 140, 7 *nimium breves* = Ad. 377 *μικροὶ πάνυ;* 123, 19 *cavi nimium* = Ad. 346 *κοῖλοι πάνυ*. De hoc autem usu adnotat Woelfflinus[1]), pauca de comicis praefatus: ‚In der Bibelübersetzung (i. e. altera IV[1] saeculi parte!) entspricht *nimis* oft dem griechischen *πολύς* —. Besonders lehrreich aber ist eine Stelle Augustins — enarrat. in psalm. 118: Nimis dicitur quidquid plus fuerit quam oportet ..... Sed aliquando latina lingua hoc verbo sic abutitur, ut *nimis* pro eo quod est *valde* et positum inveniamus in litteris sacris (im Bibellatein) et ponamus in sermonibus nostris (im Vulgärlatein).‘ Loquitur ita praeclarus ille ecclesiasticus de sui temporis usu; in quem quae modo apud physiognomoniae auctorem vidimus, mirum quantum quadrant.

Dein nonnumquam positivo adverbia ex abundanti adiciuntur, ut *nimium*: 142, 18 *nimium exesa* = Ad. 383 *ἐκτετηκότα;* 143, 14

[1]) Comp. p. 25 init.

calcanea—nimium vasta = Ad. 380 *παχέα δὲ σφυρά; admodum*: 144, 6 *a. ferinus* = Ad. 379 *θηριώδους φύσεως; aliquanto*: 157, 5 *a. cavus* = Ad. 433 *κοιλία πλατεῖα καὶ κοίλη* (corr.); 163, 5 *a. resupinus* = Arist. 808, 26 *ὕπτιος τῷ σχήματι*; 162, 8 *aliquanto (= paulum) incurvus* = Ar. 807, 30[b] *μικρὸν ἔγκυρτος*.

Tum adverbium *satis* non semel i. q. *nimis* est, cum graecum *λίαν* exprimat, ut 162, 18 *non satis clausis* = Ar. 807, 36[b] *λίαν*; similiter 157, 20 *non satis* (i. q. *nimis*) *procerus nec brevis* = Ad. 435 *μεγέθους εὖ ἥκοντα*. Persaepe pro *valde* usurpatur vel ultro additur: 153, 22 *promptos satis oculos* = Ar. 811, 23[b] *ἐξόφθαλμοι*; 118, 14 *iracundus satis* = Ad. 330 *τὸ ὀργίλον αὐτὸν εἶναι*; 157, 9 *oculi non satis grandes* = Ad. 434 *οὐ μεγάλοι ὀφθαλμοί*, alia. Dicit de hoc Woelfflinus: [1]) ‚Viele Beispiele findet man in jeder grösseren Concordanz der Vulgata, und ebenso in der gleichzeitigen (!) Prosa wie bei Aur. Vict. Caes. 43 s. pius, Epit. Caes. 41 s. utilis.‘ Videmus igitur usus, quem esse proprium IV[i] saeculi partis alterius vir doctus monet, multa inveniri exempla apud Anonymum.

Iam vero comparativi in versione latina aliis adverbiis adpositis corroborantur: 118, 12 *multo est avarior* = Ad. 330 *κερδαλεώτερός ἐστιν ὁ ἀνήρ*; 163, 26 *multo maiores* = Ad. 301 *μείζω*; sim. 159, 14 *carne molli et aliquanto pleniore* = Ad. 441 *εὔσαρκος σαρκὶ ὑγρᾷ*.

Quin multis locis auctor comparativos profert, quibus positivi expectantur nec non — quod tenendum — in graecis exemplaribus servantur. 135, 13 *mentum—prolixius* (opp. 135, 15 *parvum*) = Ad. 396 *μακρογένυες — μικρογένυες*; 158, 10 *altius se erigens* = Ad. 438 *ἄνω τείνων ἑαυτόν*; 151, 13 *fuscior color* = Ad. 414 *τὸ δὲ μελάγχλωρον*[2]) *καλούμενον χρῶμα*; 162, 15 *movetur tardius, loquitur gravius* = Ar. 807, 34[b] *ἐν ταῖς κινήσεσι βραδύς, καὶ διάλεκτος βραδεῖα*; sim. 157, 11 = Ad. 434, 6. 134, 3 = Ad. 404, 4. 134, 21 = Ad. 400, 9. 115, 9 = Ad. 402, 6. 127, 20 = Ad. 358, 10. 132, 10 = Ad. 372, 7 *(ἐοικός)*, 123, 10 = Ad. 339, 8. Simile gradationis studium non nisi apud eos scriptores indagare potui, qui fuerunt post 350

---

[1]) Archiv I 98.

[2]) corr. Foerster, Quaest. phys. p. 6.

p. C., apud Ammianum Marcellinum[1]), Cassianum[2]), Sedulium[3]), Victorem Vitensem[4]), Fulgentium mythologum[5]).

Et ut denique veniamus ad id, quod est inter gravissima inquinati sermonis indicia, comparativus saepissime, ut ita dicam ἐκ παραλλήλου usurpatur cum positivo, quin etiam particulis *et*, *vel* cum positivo coniungitur: 158, 13 *vox gravior*, *tardus incessus* = Ad. 438 βαρὺ[6]) φθέγγεται, βραχὺ βαίνει; 157, 4 *ossa grandia, capillus durior* = Ad. 433 ὀστᾶ μεγάλα, κόμη[7]) σκληρά; 158, 17 = Ad. 438,8; 157, 23, 24=Ad. 436, 1; 166, 4, 11, 18. — 128, 15 *si lucidi, si maiores, si profundi* (opp. 128, 16 *si parvi*) = Ad. 362 τὸ μέγα. 160, 13 *mansueta magis—ferocia* = Ad. 445 τὰ μὲν ἥμερα — τὰ δὲ ἄγρια. 155, 21 *vultus pronior hispidus subrubeus* = Ar. 808, 33 καὶ τὰ εἴδη προπετεῖς ἐπίπυρροι. 162, 18 = Ar. 807, 35[b]. 152, 21. 106, 19. 106, 21, 22. 107, 8. — 119, 7 *oculi vagi et circumerrantes et obscuriores* = Ad. 332 πάντη περιθέοντες ἀχλυώδεις; 124, 1 *maiores et umidi* = Ad. 347 ἥ τε ἰκμὰς καὶ τὸ μέγεθος; 163, 4 *carne ampliore et molli* = Ar. 808, 25 εὔσαρκος. ὑγρὰ σὰρξ καὶ πολλή; 114, 7 *rugosa vel laxior*. deest in graeco, sed ut ex *astricta* 114, 8 pate fit, *laxior* idem valet ac *laxa*; 153, 27 = Ar. 812, 24[b]. 159, 14. 113, 9. 130, 8. 107, 7 al.

Atque hic usus vel argenteae latinitatis auctoribus prorsus inauditus erat. Nam inter solutae orationis scriptores primum semel ab Apuleio in medium profertur, met. X, 16 *gratiosum commendatioremque*, dein ante Arnobium (295 p. C.) vix processit neque ante Aureli Victoris tempora ita inveteravit quemadmodum Anonymi aetate inveterasse censendus est.[8])

Sed ut absolvam, interdum etiam superlativus pro positivo adhibetur: 140, 3 *optimi ingenii* = Ad. 377 εὐφυοῦς ἀνδρός, 157, 18 *manibus longissimis* = Ad. 435 μακρόχειρ, 161, 15 *labia longissima*.

---

[1]) Hassenstein p. 30.
[2]) ind. p. 450.
[3]) ind. p. 379.
[4]) ind. p. 149.
[5]) M. Zink. Der Mytholog Fulgentius p. 45.
[6]) corr. ex βραχύ.
[7]) corr. ex καὶ μή.
[8]) sed de his vide Woelffl. Comp. p. 66 fin., 67 init.; Sittl, Afr. p. 103.

Quin semel superlativus cum comparativo coniungitur: 168, 24 *tam minimas quam maiores.* Cuius vitii primus testis laudatur Arnobius sive Lactantius.[1]) Ceterum *minimas* hic comparativi *minores* loco extat, quem usum Woelfflinus tantum in Vulgatae libris invenit.[2])

Quamquam quid plura? Satis superque cognovimus Anonymum hanc gradationem de qua dixi inutilem tam crebro et tam variis modis adhibere,[3]) ut non ante IV[1] saeculi finem fuisse videatur. Quod idem supra ex re grammatica collegeramus.

Relinquitur nunc ea pars, quam posueramus ultimam,

Pars III. De verborum copia.

Omittam autem ea verba, quibus usi sunt aut Apuleius aut Apuleo vetustiores. Hunc enim ex supra disputatis constare videtur auctorem libelli non esse. Contra gravissimum erit in ea verba, quae post Madaurensis tempora i. e. inde a Tertulliani aetate usus procreavit, accuratius inquirere atque videre, quibus ex his utatur interpres. Adnoto autem me in singulis locis, quoad fieri potuerit, scriptores temporis ratione habita allaturum esse ita, ut, quem primum vel solum posuerim, is primus seu solus vocis, qua de agitur, testis habendus sit.[4]) Silentio vero praeteribo ea verba, quae aut Foersteri emendatione corruunt[5]) aut Maierus perperam post-Apuleiana esse putavit.

---

[1]) Woelffl. Comp. 68 fin., et praecipue Sittl p. 102 fin.

[2]) Woelffl. Comp. p. 70; Roensch, Itala p. 417.

[3]) cf. etiam Adam. 330 *μικροί* = Anon. 118, 9: *perbreves;* Adam. 379 *οἱ δὲ μικροί* = Anon. 144, 8: *pertenues,* simil.

[4]) In examinanda copia verborum usus sum cum Georgis, Forcellini-De Vit, Du Cangii lexicis, tum copiis illis uberrimis, quas summa cum diligentia collegit Pauckerus (singulorum libror. inscriptiones cf. in Pauckeri Vorarb. z. lat. Sprachg. ed. Roensch 1884 in append. pp. IV. V.) et corp. script. eccl. lat. indic. Vindob., indic. ad Chalcid. a Wrobelio, ad Gargil. Mart., Cass. Fel., Soran. lat. Anthim. a Rosio, ad Sidon. Apoll. a Grupio, ad Alc. Avit. a Peipero confectis, Roenschii Itala aliis. Nettleship, Contributions to latin lexicography, Oxford 1889, ad quod nuperrime Ricardus Foersterus animum meum advertit, in bibliotheca, quod doleo, nondum praesto erat.

[5]) *hebetudo* 132, 21, *semicirculariter* 132, 18 Alberti Magni sunt. 155, 4 pro *detractio* scribendum *detrectatio.* 154, 2 corrigendum *infulciatur* cf. Foerster, Quaest. phys. p. 5. 129, 12 Foersterus me docet scribendum esse *ut* [*hoc*] *Graeci aiunt ἀσκαρδάμυκτοι sunt, praetereaque aciem* e. q. s. 107, 15 pro *suffusior* restituendum *fuscior.*

A. Voces, quae ante Tertullianum nusquam apparent.

Primum igitur substantiva proferantur. Inter quae *ἅπαξ εἰρημένα* Anonymi *physiognomonia* 105, 3, 7. 106, 7. 109, 10, 17. 110, 19. 116, 15. 131, 16 [1]) — physiognomon Cic. fat. 5; physiognomonicus Boeth., — *metaphrenum* 140, 22. 141, 2, 3. 145, 11. 157, 6 — metaphrenon Cael. Aur. acut. 3, 16, 129, sed haud scio an hic ut acut. 2, 29, 151 et chron. 3, 2, 31 graecis litteris scribendum — nec non *apoplexia* 119, 10 (128, 5 *ἀποπληξίαν*) — Cael. Aur. acut. 3, 5, 55, Oros. 7, 15, Isidor. — statim tolli possunt, ut quae e graeco deprompta non faciant in rem.

Sed ceterorum *α)* unus Anonymus exhibet: *cogitator* 109, 24 = Ad. 321 *φροντιστικός*, 110, 23. 115, 19. 118, 18 = Ad. 331 *φροντιστής*, 125, 9, al. — Tertull.: cogitator-ium. — *figuratrix* 105, 14 — Masculinum *figurator* apud Arnob. VI 10 (295 p. C.) et Ps.-Tertull. adv. Marc. I v. 39 (fin. IV. sec.) — *temperamen, inis* 165, 11 — Ceteris locis Anonymus semper exhibet *temperamentum*. — *pronitas* 133, 7 [2]).

β) apud Tertullianum vel alios qui postea scripserunt, occurrunt: *circumcisio* 152, 25 *palpebrarum* — Vox Ecclesiasticis usitata, sed alio sensu de penis circumcisione praegnanter dicta, ut apud Tertull. adv. Iud. 2 et 3 al., Hieron., Rufin. al. — *discretio* 105, 20. 110, 2. 118, 23. 132, 2. 144, 15. 160, 18. — Tertull. apol. 41 al., Tryphon. Dig. 7, 1, 62, Lactant. 7, 12, Rufin. Hist. mon. 13, Vulg. Interpr. Roensch 73, Iul. Exuper. 4, Mart. Cap. 1, 11, Cael. Aur. al. [3]) — *subsannatio* 154, 3 — Lib. Sirac. 11, 35. 34, 21 (c. 200 p. C.); Hieron. in Am. III ad 7, 7 sq., Vulg. Interpr. Roensch 78, Hilar., Augustin., Sulp. Sev., Fulg. myth. — *exquisitor* 118, 16 — Proph. Baruch 3, 23 (c. 200 p. C.) Cassiod. Var. 7. 5, Iordan. Get. 37. — *animositas* 126, 18 i. q. Herzhaftigkeit, Mut. — Hoc sensu primum reperitur apud Arnob. III 1 (c. 295 p. C.); dein ap. Ammian. Marc. 16, 12, Rufin. Hist. eccl. 1, 10, Sidon. Apoll. p. 56, 9. Vox ipsa, sed malo sensu prolata i. q. *ira*, iam comparet apud Cyprian., postea saepe. — *contrarietas* 144, 19. 150, 17 — Tertull. adv. Marc. II, 21 al.; Arnob. II, 57, Plot. Sac. de metr. III, 11, Firm. Mat. 1, 2, Mar. Vict., Chalcid. ind. p. 391, Hieron. in Eccl. 3 col. 407, Vulg. Interpr., Serv. Verg., Macrob., Cass. Fel. 17 p. 24, Cael. Aur. tard. I, 5, 163. — *calcaneum* 143, 14. 154, 16, 25. — Lamprid. (IV. sec. part. pri.) Heliogab. 20, 5, Hieron., Vulg. Interpr. Roensch p. 29, Th. Prisc I. 29, Greg. Tur. IV, 13 [4]) — *verticulus* 136, 13 — Solin. 34, 3

---

[1]) restituit Foersterus ex *physiognomiae*.

[2]) De *coinquinatur* p. 124, 9 vide infra p. 43 not. 1.

[3]) Paucker, Spicil. p. 269.

[4]) Ps. Verg. Moret. 36 versus spurius esse videtur. cf. Haupt, Opusc. 1, 38 sq.

(III. saec. part. post.), Chalcid. p. 142, 4 (Wro.), Cael. Aur. chron. 4, 3, 24; Plin. Vales. 2, 45. —

Sequantur adiectiva, adi. partic., comparativi: *α)* unus Anonymus testis est horum: *incompos* 125, 2 *mentis* = Ad. 349 *οὐ φρενήρη* [1]). — *perrotundus* 140, 9 = Ad. 377 *στρογγύλοι πάνυ.* — *subclausus* 128, 1 [2]). — *circumtumens* 125, 14 = Ad. 351 *περιοιδοῦντες.* — *incomprehensus* 118, 8 — Vox *incomprensus*, sed alio sensu, bis IVo saec. comparet: Lact. 3, 2, 6; Prudent. apoth. 812 — *subdiffluens* [3]) 161, 14 = Ad. 447 *ὑπορρέοντες.* — *impressior* 106, 21. 141, 22.

β) alibi, sed non ante Tertullianum, comparent: *capillosus* 145, 7, 15 — Prob. app. 199, 128 (IV/V sec.), Cael. Aur. chron. 5, 4, 67; Cass. Fel. 5 p. 12; 6 p. 13 (Ro.). — *fellitus* a) proprie: *alii felliti coloris* 119, 21 — Avien. (IV. sec. part. post.) in Anthol. Lat. 876, 21, Augustin. serm. 254, 5, Cass. Fel. 48 p. 122. 42 p. 96 al., Pelag. vet. 1 p. 16 — b) translate de homine iracundo 118, 14 — Cassiod. Var. 1, 13. — *perpetrabilis* 121, 19 — Tertull. ad uxor. 2, 1, sed alio sensu: *nubere in domino perpetrabile est.* — *sensualis* 112, 7 — Tertull. anim. 43, Asclep., Prudent. *π. στεφ.* 10, 346, Dionys. Exig. de Creat. hom. 15, Cael. Aur., Claudian. Mam. p. 71, 23. — *serpentinus* 109, 6 — Ambros. (IV. sec. part. post.) in Luc. 2, 2, 51, Hieron. ep. 117, 2, Lucif. p. 11, 15. 67, 14 al., Augustin., Vict. Vit. p. 103, 13 (Pe.). — *incongruus* 137, 4 — Chalcid. (IV. sec. p. pri.) p. 42, 20; Serv. Verg. Aen. 2, 57; Aug. ap. Hieron. ep. 67, 5; Faust. ap. Aug. c. Faust. 32, 5; Symm. ep. 4, 8; Veget. milit. 2, 19; Macr. sat. 5, 13, 31; Cassian. II p. 27, 3 al., [4]) Sedul.; Boet. inst. mus. 4, 17 — Ps. Apul. d. dogm. Plat. III p. 265 (H.). — *subrubeus* 151, 7 = Ad. 414 *ὑπόξανθος,* 155, 21 [5]) = Ad. 808, 33 *ἐπίπυρροι* — Non. Marc. (III. sec. fin.) 549, 9; *subrobeus* s. *subroveus* Oribas. frg. Bern. quater. — *accorporatus* 140, 7 = Ad. 377 *προσφυεῖς τῇ σαρκί.* — Solin. (III. sec. p. post.) 37, 8, Paulin. in August. ep. 25, 1; translate: Chalcid. p. 183, 4. 278, 15. Amm. Marc. 16, 8, Cod. Theod. 16, 5, 30. — *subiugatus* 111, 25 *libidinibus* — translate ut Anon. ap. Lactant. (IV. sec. p. pri.) mort. pers. 34: *periculo subiu-*

---

[1]) *incompos* pro *impos* ap. Wiltecellum in Mirac. S. Io. Beverl. num. 14: *Sui ipsius incompos.*

[2]) retinet Foersterus, cf. lection. var.

[3]) restituit Foersterus.

[4]) Locus, quem laudant Forcell., Maierus, Val. Max. IV 1 § 12 inquinatissimus est. *incongruus* non nisi in rasura man. 2 A extat. cf. edit. Kempf., Lps. 1888 p. 168.

[5]) p. 106, 19 Rosius *suffusus rubore*, Sauppius in GGA. *subrubeus*, sed Foersterus Quaest. phys. p. 8 *cum rubore.*

gati; Ps.-Ascon. in Verr. 3, 21, Ennod. Carm. I, 11, 8. — Vox ipsa primum apud Arnob. I 5, VII 51. —

Inter adverbia praesto sunt post-Apuleiana: *uniformiter* 117, 8, 9 — Asclep. p. 29, 13 (Goldb.) (III. sec.), Arnob. II 19, 64, Diomed. 340, 12, Iulian. ap. Augustin. Op. imperf. c. Iulian. 2, 16, Prosper Aquit. in Ps. 149 v. 9. — *terribiliter* 129, 13 — Arnob. II 20, Vulg. Interpr. Ps. 138, 14, Augustin. Conf. 12, 15. — *econtra* 106, 2 — Garg. Mart. (c. 240 p. C.) p. 212, 8; Hieron. ep. 12. 138, Vulg. Interpr. 2 Reg. 3, 22 al., Serv. Verg. Aen. VII, 796, Aurel. Vict. Caes. 39, 45, Vers.,synops. Oribas. Rose anecd. II p. 278, Priscian., al. — *quoadusque* [1]) 159, 20 — Interpr. Irenai (c. 200 p C.) 4. Haeres. 26, 1 saep., Cyprian. p. 78, 10, 84, 9 H. [2]), Lactant. IV, 12, 17, Vulg. Interpr. cf. Buenem. l. l., Augustin. de civ. dei 1, 1. [3])

Verba denique, quorum ante Tertullianum exempla non extant, haec sunt:

α) quae solus Anonymus habet: *glaucio* 164, 9 de ovibus — *glatio* de catulo Anthol. Lat. 730, 6; *glaucito* Eug. Tolet. de philom.; *glattio* de catulis Suet. frg. de natur. animant. ap. Reiff. p. 250, 1. — *propateo* 127, 7 = Ad. 357 ἀναπεπταμένους. — *subterintendo* 126, 25.

β) quae apud alios occurrunt: *insipio* 125, 16 — Symm. ep. 1,8 (IV. sec. p. post.) — *praemoveo* 159, 4 — Hieron. c. Ioann. 11. (IV. s. p. post.), Cael. Aur. chron. 1, 5, 168.

B. Eae voces, quae quidem ante Tertullianum, sed alio sensu affectae usurpantur.

Substantivorum igitur α) unus Anonymus praebet: *incisio* 152, 27 *palpebrarum.* — proprie Ambros. (IV. sec. p. post.) in Ps. 37 § 42, Hieron., Veget. veter. 1, 39 — term. techn. Cic. Orat. 61. —

β) etiam alii proferunt: *habitaculum* 105, 10 transl. de sede animae. — Prudent. (IV. sec. p. post.) Cathem. 10, 40, Priscill. saepe cf. ind. p. 198, Pacat. pan. 5, 3, Augustin. serm. 368, 1; proprie iam Gell. V 14 al. — *vivacitas* 105, 11. 169, 20 i. q. Lebendigkeit, Lebhaftigkeit. — Hoc sensu apud Arnob. V 4, V 32 et ap. Cassian. II p. 340, 19 P. — *processus* 109, 16 de tempore: *processu temporis.* — Arnob. II 18 *cum processu temporum,* Lactant., Firm. mat., Ammian. Marc., Cod. Theod. — *conversatio* 111, 12 *humana* i. q.

---

[1]) de constructione cf. Dr. II p. 588.

[2]) Tertio loco, quem ad Lactantium IV, 12, 17 affert Buenem., Cypr. test. II 26 (p. 93, 4) a Hartelio scribitur *donec.*

[3]) Loci Varronis, Suetonii, Taciti, quos laudant Forcell., Maierus, nullius momenti sunt, cf. Georges, s. v.

commutatio Wandelbarkeit (cf. 169, 9). — Aurel. Vict. (?) epit. 18, 3, Priscill. p. 57, 4, sed vide infra! — *iniquitas* 127, 8 i. q. *facinus iniquum* = Ad. 357 ἀθέμιτα ἔργα. — Vulg. Interpr. Kaulen p. 44, Claudian. Mam. p. 76, 21. — *divinitas* 129, 17 concret. i. q. *deus*. — Firm. math. (IV. sec. med.) 3, 3. 3, 6 —, Lucif. p. 265, 13. 323, 2, 6, Querol. V 2, Cassian. II p. 84, 5 (P.), Salvian. ind. p. 337 (Pauly), Ps. Ascon. div. Verr., Boeth., Eugipp. vit. Sev. 61, 6. — *concinnator*[1]) 124, 9 *negotiorum atque causarum* i. e. is *qui comminiscitur et arte dolo fallaciis conficit qd.* — Ulp. Dig. 1, 16, 9 (III sec. p. pri.), Arnob. IV 32, Lucif. p. 100, 28. 147, 20, Sidon. Apoll. ep. 3, 13. proprio sensu; is qui concinnat iam Colum. 1 praef., Auson. ep. 16, 10. — *efficacia* 140, 12 de signis physiognomonicis. — simili sensu Firm. mat. (IV. sec. med.) de sideribus; alio: Plin. N. H. 11, 4, 2, Ammian. 16, 12, 25, Rufin., Vulg. Interpr. Eccli. 9, 4. — *geniculum* 143, 5, 11 vi deminutivi amissa. — Tertull. d. cor. mil. 3, Veget. 2, 28, 38. Mart. Cap. 8, 843. deminutivi sensu: Varro LL 9, 11. — *suffrago* 143, 6. 155, 23 de hominibus. — Interpr. Iren. III, 6, 3 (200 p. C.); Vulg. Interpr. 1 Reg. 18, 21. (de animalibus: Plin. N. H. 8, 70, 8 al., Veget., de plantis: Colum. 4, 24. — *parvitas* 146, 2 = μικροψυχία. — Val. Max. praef.: *mea parvitas*, tum IV. sec. p. post. Anastas. papa ep. 1. n. 5; Salvian. p. 221, 18 (Pa.), Sedul. p. 302, 16 (Huc.), Ennod. cf. ind. p. 690. —

Adiectivorum α) apud unum Anonymum occurrunt: *perspicuus* 130, 17 i. q. *perspicax* (127, 11) — *indispositus* 135, 3 de origine narium i. q. vernaculum ‚unabgesetzt'. — *molestus* 123, 22. 126, 11 = Ad. 354 δεινοί, de signis physiognomonicis; eodem modo adhibitum quo *deterior* 123, 20 al. — *proximus* = *similis* s. *simillimus*, ut 150, 15 (Ad. 432 ὅμοιος) = 150, 14. 169, 6 = 169, 3; et eodem fere modo 149, 16. 153, 29 = 161, 20, ubi scilicet *voci* supplendum; 133, 15. 134, 22 = 131, 25. 132, 3, 4, 5, 6. 150, 14; 154, 18 = 109, 12, 14, 16.

β) alii etiam exhibent: *sollicitus* 125, 24 i. q. geschäftig. — Cyprian. (III. sec. med.) ep. 30 n. 4, Priscill. p. 88, 7, Vulg. Interpr. 1 Cor. 6. 32 al.—, Ambros. Hexaëm. 5, 24, 88.[2]) — *congestus carnibus* i. q. *refertus carnibus* (v. 141, 24) vel *carnosus* 140, 17 = Ad. 386 πολύσαρκα, 141, 16[3]) = Ad. 385 σαρκώδεις, 158, 5. — Simili sensu de pectore, genis, malis: Auson. Mosell. 132 (370 p. C.) — *contentiosus* 165, 26 de hominibus. — Vulg. Interpr. 1 Cor. 11, 16 (IV. sec. p. post.), Isidor. 10, 46; de inanimis: Plin. ep. 2, 19, Tertull. al.; translate: Quint (?) decl. 5, 1, Apul. — *vastus* = *crassus* (opp. *tenuis*) 113, 11. 135, 25 = Ad. 391 παχύς. 136, 1 = Ad. 391 πα-

[1]) corr. Foerster. Quaest. phys. p. 9.
[2]) sed locus corruptus esse videtur cf. Foerster, JJb. p. 577.
[3]) restituit Foerster. JJb. p. 586.

χυτράχηλοι. 138, 3. 158, 4 = Ad. 437 παχύν. 142, 17 = Ad. 382 παχέα. 143, 14=Ad. 380 παχέα 143, 17. 161,18=Ad. 447 παχέα. — Vulg. Interpr. (IV. sec. p. post.) 3 Reg. 12, 10 in margine cod. Legion., 3 Reg. 7, 46 *vastitia* = πάχος.[1]) Cass. Fel. p. 75, 12. 87, 14 (Ro.). Soran. gyn. vers. p. 93, 8 (Ro.) *vastitas*. Ian. Nepotian. 9, 33: *vastitas*. —

Inter verba α) nemo nisi Anonymus praebet: *intueor* absolute dictum: 126, 10. 158, 10, 20, 26. 159, 10. — *submoveo* 123, 20 i. q. ein wenig, etwas bewegen = Ad. 347 ὑποκινοῦνται. — *deputo* 131, 3. Si cum Maiero interpretamur i. q. *cognoscere*, non alibi; si, ut fieri potest, i. q. *assignare, ascribere*, etiam apud Spartian. Ael. Ver. 3, Veget., Sulp. Sev. saepe cf. ind. p. 275, Sedul. ind. p. 383. Vox ipsa reperitur apud Terentium, Accium — Tertull. sq. —

β) alii etiam post-Apuleiani: *inhabito* 121, 17. 124, 15 intrans. de animo simil. i. q. ἐνοικεῖ τινι. — Vulg. Interpr. (IV. sec. p. post.) Psalm. 84, 10, Rom. 8, 11 saepe; Priscill. p. 5, 23 ex script. Sacra (proprie Apul., Hygin., Ambros., Vulg. Interpr. al.) — *intendo* 126, 13. 128, 19 = Ad. 363 βλέποιεν (cf. *subterintendo* 126, 25) i. q. *video* omisso accusativo *aciem* (qui servatur 129, 13 cf. 127, 14.) absolute prolatum. — Lib. Sirac. 42, 12. Asclep. p. 61, 14 (Goldb.), Vulg. Interpr. Roensch p. 371.[2]) — *superduco* 129, 23 proprie = Ad. 366 ἐπιβάλλοντες. — Interpr. Iren. 4 Haeres. 33, 1, Hieron. ep. 66, 1, Sidon. Apoll. p. 90, 12 (Luetjoh.), Plin. Vales. 3, 22 transl.: Tertull., Capit., al. — *insinuo* 163, 10 alqd. = *docere, notum facere*. — Ps. (?) Apul. de mundo p. 127, 4 (Goldb.)[3]), Ulpian. Dig. 32, 11, 2, Solin. ep. 2 a med., Script. hist. Aug., Hieron., Rufin., Priscill. p. 6, 16, Amm. Marc. 25, 8, 12, Sulp. Sev. al.[4]) — *confoveo* 112, 5 translate de mentis ingenio — Vulg. Interpr. (IV sec. p. post.) Isai. 59, 5, Augustin., Cassian. II p. 106, 1, Sidon. Apoll. II. 2, 14, Alcim. Avit. cf. ind. p. 328 (Pei.), Inscr. cf. Georg. s. v. — Auct. hist. Datian. 10. (proprio sensu: semel in Afran. frgm. vers. 144 (Ribb.), dein Apul. met. 138,21 — Hieron. ad. Rufin 3, 8 saep., Vulg. Interpr. Roensch 186, Prudent., Augustin. al.) [5])

---

[1]) cf. Roensch, JJb CXXI. (1880) p. 507.

[2]) Quibus exemplis perspectis Foersterus nunc, ut mecum communicavit, de sententia quam in huius anni programmate p. 9 ad 126, 13 protulerat, decedit.

[3]) Libellus si non Apulei est, at certe tertio saeculo conscriptus. cf. Becker, Studia Apuleiana et Hoffmann, Act. semin. philol. Erlang. vol. II p. 213 sq.

[4]) cf. Paucker, Subrel. lexicogr. lat. scrutar. 1879 p. 10. 44.

[5]) Addo adverbium *plerumque*, quod propria vi amissa fere semper usurpatur = *nonumquam, interdum* 105, 23. 116, 12. 123, 8. 125, 17. 146, 14, 17. 153, 8. 159, 8; (120, 1. 123, 15. 164, 8). Primum exemplum invenio apud Sueton. Tib. 29, tum ap. Pompon. in Dig. XIX, 5, 11 et XIII, 6, 13 (?); Paul. et Ulp. Dig. II, 14, 25 et 26, Tertull., Solin., Hieron. adv. Vigil. 9, Aur. Vict., Amm. Marc., Aug., Cael. Aur., Greg. Tur. cf. Paucker, latin. Hieron. p. 84 c. adn. — Quintil. (?) decl. 15, 11 sub fin.

C. Voces post Apuleium redivivae.

Primum ex substantivis profero: *guttula* 116, 24. 121, 7, 10. 120, 16, 17 saep. (120, 9 gutta) = graec. κέγχροι Ad. 342. 343 al. — Plaut. Epid. 4, 1, 27 — Paulin. Nolan. carm. 21, 427 (IV. sec. fin.), Ennod. p. 191, 18 (Ha.), Fulg. myth. III, 8. (transl.: Lamprid. Alex. Sev. 44, 9) — *examen* 164, 21 i. q. Prüfung — Ovid. met. 9, 550, Pers. 1, 6, Stat. silv. 3, 3, 203. — Solin. (III. sec. p. post.) init. ep. ad Advent., Priscill. p. 145, 5. Fest. ap. Paul. Diac. p. 80 M. — *pavus* 168, 7 i. q. *pavo* 109, 8. — Enn. ann. 15, Varr. sat. Menipp. 403; Mart. V, 37, 10 — Tertull. de pall. 3 et 5 al., Apic. 2, 49, Arnob. VII, 8, Auson. ep. 20, 10 al., Vulg. Interpr., Fulg. myth. 3, 3 — *tergiversator* 135, 7. 139, 10. 151, 12. — Gell. XI, 7 — Non. Marc. (III. sec. p. post.) 79, 26, Arnob. VII, 43, Hieron. in Matth. I ad 4, 6, Cassiod. Inst. div. 33, Isid. — *gratia* i. q. *venustas* 128, 20; plur. 135, 23 = Ad. 397 χάριτας, 141, 5 = Ps.-Pol. 271 χαρίεντα. — Plin. N. H. 28, 79, 1, Quintil IX, 4 al. — Vulg. Interpr. (IV. sec. p. post.) e. g. Esther. 15, 17 *facies tua plena est gratiarum;* Cassian. II p. 687, 16 al., Alcim. Avit. cf. ind. p. 359 (Pei.) —

Tum ex adiectivis vel participiis: *subrubens* 118, 5. (123, 2). 140, 3 = gr. ὑπέρυθροι, ὑπόξανθοι Ad. 329, 377. — Ovid. ars am. II, 316 — Pallad. (IV. sec. p. pr.) 4, 10 a med.; Basil. poet. in Anthol. Lat. 590 (Riese). — *tenebrosus* 125, 20, 23 = gr. σκότιος Ad. 351, 352. — Verg. Aen. 5, 839 al., Ovid. Met. 1, 113 al. — Tertull. adv. Marc. 2, 28, Lact. 7, 4, 12, Chalcid. p. 273, 6, Hieron. adv. Jov. I, 3 al., Priscill. p. 4, 4 al., Lucifer p. 32, 8 al., Augustin., Pelag., Ennod. carm. II, 15, 9, Claudian. Mam. p. 82, 15. — *tristificus* 138, 8. — Cic. poet. de div. 1, 13. — Prudent. (IV. sec. p. post.) cath. 4, 76. 5, 93; Macrob. sat. 7, 12, 30, Sever. Sanct. de morte boum. Anthol. lat. n. 893 et 73 — *obuncus* 167, 13. 168, 4[1]). — Verg. Aen. 6, 597, Ovid. Met. 6, 516, Nux. — Claudian. in bell. Gild. (398 p. C.) 470; Dares 13, Ennod. carm. I. 6, 16 — *informatus* 156, 28[2]) i. q. *prima institutione imbutus, institutus.* — Cic. Arch. 3 — Cassian. (V. sec. p. pri.) I p. 24, 26; II p. 687, 13 al., Maxim. Taurin. Serm. 52, Eugipp. vit. Sev. p. 18, 9. 43, 2 al. — *penetrabilis* 158, 6 active = is qui facile penetrat. — Verg. Georg. 1, 93 al., Ovid. Met. 13, 857, Sil. 7, 649, Gell. 10, 3. — Vulg. Interpr. (IV. sec. p. post.) Hebr. 4, 14, Paul. Nol. ap. Augustin. ep. 121, 18; Macrob. sat. 7, 12, 7, Claudian. Mam. p. 143, 20 — *versipellis* 150, 1 = Ad. 429 ποικίλον ἀνδρός translate de astuto, versuto. — Plaut. Bacch. 658, Lucil. sat. 26, 25, Porc. Latro decl. c. Catil. 9. —

---

[1]) 163, 2 vox a Rosio inculcata est cf. Foerster, Quaest. phys. p. 6.

[2]) Hoc cur exempla non habere Maierus p. 8 contendat, non video. Neque enim vernaculo ‚informirt' (Maier p. 20) reddendum est, sed, ut ex *paucis exemplis* 156, 28 et ex prooemii verbis p. 105, 3 *ea elegi quae ad primam institutionem pertinent* elucet, i. q. prima institutione imbutus, institutus.

Arnob. (c. 295 p. C.) IV, 14, V, 35; Vulg. Interpr., Prudent. Cathem. 9, 19, Augustin. Ps.-Cypr. A 213, 11 (Ha.)[1]).

Denique ex verbis: *perurgeo* 117, 18 — Suet. Tib. 25 — sed usitatum demum ab exeunte tertio saeculo.[2]) Trebell. Poll. Gallien. 5, Capitolin. Gord. 16, Spart. Sev. 8, 23, Hieron., Vulg. Interpr. Roensch p. 196, Rufin., Priscill. p. 53, 7. 54, 16, Auson. Perioch. Odyss. 14, Ambros., Amm. Marc. 29, 1, Aur. Vict., Cod Theod. 1, 2, 6, Sulp. Sev. Dial. III. 6, 4. — *circumtego* 145, 8 (cf. Ad. 419 *ἐπὶ πολὺ κομῶντας)* — Naev. com. 101[3]) — Vulg. Interpr. (IV. sec. p. post.) Hebr. 9, 4; Augustin., Dict. 3, 11, Sulp. Sev., Prosp. Aquit. de ingrat. 35, Cael. Aurel. acut. 2, 34, chron. 5, 10 — *calco* 164, 11 proprie usurpatum. — Ovid. met. 5, 88, Verg. Aen. 12, 340, Colum., Tac. hist. 4, 81, Suet. — Vulg. Interpr. (IV. sec. p. post.), Claudian. cons. Stil. I 349 — *curvo* 118, 13 — Verg. Georg. 4, 299, Hor. Carm. 1, 33, 15, Ovid. met. 15, 507, Plin. 6, 6, 1 al., Stat. Achill. 1, 487. — Vulg. Interpr. (IV. sec. p. post.) Eccl. 7, 25. 33, 12. Ps. 37, 7 al., Hilar. in ep. ad Gal. n. 31, Cassian. p. 315, 11. —

Ex his tabulis hoc sponte intellegitur multa apud Anonymum legi verba, quae obvia sunt saec. III et IV[4]), aliena prioribus, nullum autem quinto peculiare. Accedit quod vocabulorum, quae proposui, maxima pars ante alteram IV[1] saeculi partem non reperitur[5]). Quare in hoc tempus libellum revocare equidem non dubito.

Quaerat quispiam: Nonne vides summum linguam latinam quasi naufragium fecisse et particulam tantum verborum nobis servatam esse? Nonne quaedam Anonymus potuit etiam ipse novare? Potuit[6]); at non de una duabusve vocibus ambigitur, sed de tali exemplorum copia, qualis explicationem postulet. Sunt enim in tantulo libello vel 25, quae ante 350 p. C. nusquam leguntur. Quid autem? ceterarum etiam vocum, quas attuli, haud spernenda pars,

---

[1]) Apul. met. II 22, quem afferunt Forcell., Maier. huc non quadrat. cf. Georg. s. v.

[2]) cf. Paucker, Latin. Hieron. p. 134.

[3]) Lucr. 1 vers. 1094 spurius habendus est.

[4]) omissis scilicet *ἅπαξ εἰρημένοις*, quae huc non pertinent.

[5]) *capillosus, fellitus, serpentinus, insipio, praemoveo; (incisio), habitaculum, iniquitas, conversatio, (divinitas), (efficacia), congestus, contentiosus, vastus, inhabito, confoveo; guttula, gratia, tristificus, obuncus, informatus, penetrabilis, circumtego, calco, curvo.*

[6]) et fecisse videtur. cf. *ἅπαξ εἰρημένα: cogitator* p. 40; *circumtumens* p. 41; *submoveo* p. 44.

licet singillatim tertio saeculo vel ineunte quarto occurrat, demum inter Hieronymi aequales in usum cotidianum ascita est[1]).

Verum ne nimius sim in re aperta, unam phrasin Anonymi commemorabo: *conversationem humanam*, quae p. 111, 12 — quod permirum — adhibetur pro rerum humanarum volubilitate et inconstantia. Atqui hunc sensum vocis *conversatio* in tota latinitate fere frustra quaeres. Nam omisso nostro loco bis tantum legitur: in Aureli Victoris epitoma (post 395 p. C.)[2]), tum apud eum qui nuper a Scheppsio detectus est, Priscillianum († 385 p. C.)[3]).

Videtur igitur certum sensum prae se tulisse eo ipso tempore, cui tot alia argumenta ut nostrum libellum ascribamus suadent[4]).

Jam vero etiam constat non per omnia linguae latinae saecula unam rem eadem semper voce significari, sed — imprimis extremis latinitatis temporibus — permulta priorum auctorum vocabula prorsus evanuisse. Et recte monet Horatius:

Ut silvae foliis pronos mutantur in annos,
prima cadunt; ita verborum vetus interit aetas.

Ita Woelfflini diligentissimis studiis verba *morbus*, *saepe*, *supra modum* scimus posterioribus saeculis obsolevisse et alia verba in eorum locos successisse.

Nam cum *morbus* etiam apud tertii saeculi scriptores Serenum Sammonicum, Gargilium Martialem alios reperiatur, tamen rarius atque rarius occurrit, contra *infirmitas*, *vitium*, *passio*, *aegritudo* all. praevalere coeperunt[5]).

Pro *saepe* emoriente tam vehementer irruit *frequenter*, ut iam IV[1] saec. fine apud Vegetium de mulomed. ratio quae inter

---

[1]) *subsannatio, animositas, (contrarietas), (calcaneum,) sensualis, incongruus, (accorporatus), (subiugatus), terribiliter, econtra; geniculum, suffrago, sollicitus, superducere al.*

[2]) Dicit auctor cap. XVIII, 3 de imperatore Pertinace: *Huius caput tota urbe circumvectum est. Hoc exitu obiit vir ad humanae conversationis exemplum.* Auctor epitomae, cum extremo loco agat de Theodosio († 395 p. C.), post annum 395 p. Chr. scripsisse censendus est.

[3]) qui praebet p. 57, 3: *vitae humanae conversationes*, de cuius locutionis sensu dubitare non possumus, si respicimus eiusdem paginae lineam 11., qua excipitur verbis *humanae imbecillitatis.*

[4]) Vox *conversatio* per se praecipue Ecclesiasticis in summis deliciis erat, sed antea et postea semper prolata pro *vita* seu *vitae ratione* simil. cf Roensch, Itala p. 310, Ind. scr. Eccl. Vindob., lexica etc.

[5]) cf. Woelfflin, Sitzungsber. 1880 p. 386 s. q.

saepe et *frequenter* intercedit, sit 1:3, apud Cassium Felicem (V. sec.) fere 1:12, in Oribasii versione (VI. sec.) *saepius* bis, *frequenter* 9ies, *saepe* nusquam extet [1]).

Item rarescere *supra modum,* magis placere sequiori aetati quod in lingua italica remansit *ultra modum (oltre modo),* Ammianus Marcellinus IVi saec. parte altera primus testis est, quem in deliciis habuisse *ultra modum* Woelfflinus docuit in Mus. Rhen. XXXVII p. 111 [2]).

Atqui physiognomoniae auctor tribus locis, quibus de morbis dicit, *infirmitates ac vitia* 109, 3 vel *aegritudines* 111, 14. 151, 12, vocem *morbus* non praebet.

Vernaculum häufig 11ies voce *frequenter* interpretatur (128, 12. 129, 8. 131, 17. 132, 13. 136, 20. 159, 2. 164, 13, 18. 169, 10), semel *frequentissime* 161, 22; vocem *saepe* bis 159, 11. 164, 11, *saepius* bis 159, 3, 12 exhibet, ut ratio inter *saepe* et *freqenter* fiat 1 : 3.

Ultra modum denique quater (112, 20. 133, 10. 139, 10. 158, 2. (cf. 115, 15. 125, 11), *supra modum* non iam profert.

Quae si inter se comparamus, statim patefit vel hanc Anonymi verborum condicionem ad ipsam Vegeti et Ammiani Marcellini aetatem optime quadrare.

Sed ut finem nunc faciam disputandi, omnibus sermonis provinciis pervestigatis confirmatur sententia, quam p. 35 protuli: physiognomoniam latinam non ante quartum saeculum compositam esse, videri autem eam saeculi fine non esse vetustiorem.

Ex altera vero parte auctorem, quamvis ‚terminus ante quem' definiri quidem non possit, certe quominus inferioribus temporibus tribuamus, multa obstare videntur. Primum quod Christianus non fuit, quamquam huic rei non multum tribuo, tum potissimum quod sermo eius et — si cum Vi saec. interpretibus Cassio Felice, Caelio Aureliano aliis comparatur — satis integer est, et quod valde est cognatus Hieronymi, Vulgatae Interpretum, Ammiani Marcellini, Aureli Victoris dicendi generi [3]).

---

[1]) ibid. p. 410 sqq.

[2]) Apud Amm. Marcell. *supra modum* : *ultra modum* = 1:4.

[3]) Quod Maierus p. 23 epitomatorem Romanum fuisse affirmat, haud scio an rectius iudicaturus fuerit, si eum ‚non-Graecum' fuisse statuisset. Nam permulta

De linguae indiciis rem ad finem perduxi. Restat argumentum e re petitum, quod extremo loco nunc proponam.

Praebent codices ad unum omnes omnibus 19 locis [1]) pro *Polemon* scripturam *Palemon*, quam Rosius, qui Apuleium auctorem esse sibi persuaserat, a medii aevi scriba, qui cogitaret de Remmio Palaemone, in textum intrusam esse putavit;[2]) contra Foersterus contendit ipsum operis auctorem genuinam nominis formam non iam novisse.[3]) Qua de re viro doctissimo contra Rosium plane adstipulor. Valde enim veri videtur dissimile non minus undevicies librarios eundem commisisse errorem,[4]) qui optime explicatur, si cum Foerstero Anonymum — falsa fortasse libri inscriptione deceptum — putamus verum nomen ignorasse. Tum vero vix potuit florere tertio saeculo. Quo Polemon celeberrimus ille rhetor, in ore hominum erat. Accedit quod his temporibus famosam eius cum Favorino simultatem Philostratus fusius tractavit. Quin Origenes tertio saeculo inter physiognomonicae artis auctores cum alios commemorat tum Polemonem.[5])

Quae cum ita sint, haec ipsa Anonymi ignorantia sententiae quam proposuimus, adeo non repugnat, ut eam fulciat et corroboret.

---

sane digito monstrare videntur eum inter Afros ponendum esse. Quod non miramur, quandoquidem iis ipsis temporibus, de quibus agimus, cum litterae tum haec studia naturalia quam maxime in Africa florebant.

[1]) pp. 105, 2. 124, 11. 125, 4. 126, 3. 128, 20. 131, 10. 143, 1, 16. 148, 6. 152, 7. 156, 21, 29. 161, 7, 13. 162, 3. 165, 18. 169, 14, 16, 21. *Polemone* semel in cod. Oxon. 156, 21 extat. De scriptura *Polemon* in Molinii editione cf. Foerster, Quaest. phys. p. 7. Potuit Molinius, cuius editio 1549 Lugduni emissa est, rectam nominis formam haurire e Pseudo-Polemonis physiognomonicis, quae quattuor annis ante 1545 Romae typis mandata erant.

[2]) Anecdot. I p. 62 cum adnot.

[3]) Quaest. phys. p. 7.

[4]) Praeterea vix intellegitur, quomodo scribae de Palaemone, grammatico illo praeclarissimo, cogitare potuerint, cum ex 126, 3 *tales Polemon auctor refert fuisse oculos Hadriani imperatoris,* iam ex 128, 23, quo loco de Favorino aequali huius Polemonis agitur, luce sit clarius physiognomoniae graecae auctorem secundo saeculo fuisse, non ut Remmium Palaemonem Tiberii temporibus.

[5]) c. Cels. I § 33 p. 26 Lomm.